


# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXIV (Fasc. IV) – N. 188  
M. DECEMBRI – A. MCMLXIV

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 - ZARAGOZA**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'5 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXIV (Fasc. IV) N. 188

M. DECEMBRI A. MCMLXIV

A. PAGANO, <i>Defendamus Pium XII</i> . . . . .	405
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Hiberni temporis imago</i> . . . . .	411
N. MANGEOT, <i>De ideis Platonis</i> . . . . .	415
R. PAONE, <i>Natale solum</i> . . . . .	421
P. CAELESTIS — J. M. MIR, <i>Epistularum inter socios commercium</i> . . . . .	428
J. ARAMENDIA, <i>Per Orbem</i> . . . . .	434

### PALAESTRA ADULESCENTIUM

<i>Chronographus, Fax Olympica</i> . . . . .	437
<i>J. Aramendía, Lignarius et fistula incantata</i> . . . . .	438
<i>M. Molina, Quintus Fabius Maximus Cunctator</i> . . . . .	440
<i>M. Viera, Religio cujusdam adolescentis romani</i> . . . . .	442
<i>J. Funes, Lupus et Canis</i> . . . . .	442
<i>Pereson, Catá, Gregorio, Olomí, Ramos, Facetiae</i> . . . . .	443
<i>Auctoris incerti cantilena, Tota silesit</i> . . . . .	444
<i>Ripollés, Stechina, Rabert, Facetiae</i> . . . . .	444

BIBLIOGRAPHIA, <i>I. González, M. Molina, A. Marqués J. Aramendía, J. M. Jiménez</i> . . . . .	445
<i>Index rerum et scriptorum, a. 1963-1964</i> . . . . .	458

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIV (FASC. IV) — N. 188

M. DECEMBRI

A. MCMLXIV

## DEFENDAMUS PIUM XII

Bellum quo totus fere terrarum orbis exarsit multamque attulit caedem atque cujusvis nationis homines, vel victores vel profligatos, excruciauit gravia ostendens feri munera Martis, omnium temporum est atrocissimum. Conflagratio mundi enim appellatur quia, orto bello, mundus saeptus fuit armorum igni maximeque ingenti odio quo homines et in exteris gentes et in ipsius telluris incolas plerumque incendebantur rabie obcaecati armorumque strepitu nimium gestientes.

Calamitosi illis temporibus Hattilam ac Gensericum ubicumque videres rabidos magisque furentes quam qui gradum quondam steterunt coram inermi illo Pontifice cui, validissima Dei vi intus vehementer transfixi, resistere non potuerunt: *«Cui occurrens Leo divina persuasit eloquentia ut regrederetur... Paulo post, invadenti Urbem Gensericus, eadem eloquentiae vi persuasit ut ab incendiis, ignominis et caedibus abstineret»* (Die festo S. Leonis Magni, XI aprilis).

Ignis caelo, in quo velivola dominabantur, in urbes decidebat; naves inter se eminus debebant vel militum agmina ad hostium ferebant oras quibus, armis instructa, potirentur. Africa terribili armorum sonitu horribilique bello contremuit; Jani templum omnino patebat, cuius arca portarum vincula iam disiecta humi jacebant; nunquam bella matribus detestata tanta vehementia obstrepuerant, non alias uxorum fletus tantum lacrimarum flumen effecerat. Aversae hominum mentes, pectora caeca, labefacti animi ad inanem caedem (*«inutile strage»*, alteram belli conflagrationem Benedictus XV nuncupaverat) tendebant. At matrum, liberorum, uxorum flentium gemitus erant tamquam vox illius qui clamat in deserto. Quis enim in aridum animum recipere poterat eorum fletus? *«Dura belli lex, sed lex»*, repetere videbantur illi quibus belli eventus, non hominum sortes, cordi erant. Macies et tabes corpora excruciaabant; larvae, non homines, conspici poterant; rabida fames plerosque ita vexabat ut furari inter se impelleret... Horrida, horrida bella, mentes hominum avertitis, uno tempore deletis complurium aetatum cultus,

nihil nisi infandam caedem et rabiem fertis! Num majus detrimentum, graviorque calamitas?

Truci luporum tempore, cum bellum nondum exortum se quam primum exoriturum minitabatur, Pius XI, aetate jam provectus gravique morbo affectus (paulo post enim vita est defunctus), singultim nimiam ob animi anxietatem ex Vaticanis microphonis: *«Mentre milioni di uomini vivono ancora in ansia, — paterni animi sensibus, inter cetera inquit— per l'incombente pericolo di guerra e per la minaccia di stragi e rovine senza esempio, Noi accogliamo nel nostro cuore paterno la trepidazione di tanti nostri figli e invitiamo Vescovi, Clero, Religiosi, fedeli ad unirsi a Noi nella più fiduciosa insistente preghiera per la conservazione della pace nella giustizia e nella carità...»*.

Flebilis illius Pontificis vox, crebris singultibus interrupta, vergente jam ad finem anno MCMXXXVIII atque appropinquante insequenti magis calamitoso, in se complectebatur metus et horrorem imminentis belli quod, immane monstrum!, celeri gradu jam accedebat dulcissimae pacis spem temere eripiens. Paucis post mensibus Pius XI, qui Malachiae versibus, in Pontificum successione, «FIDES INTREPIDA» nuncupatur, ad mortis limen pervenit (mense februario anno MCMXXXIX) ejusque obitus contigit cum Europae sortes declinabant in pejus et jam recedebat pax, cujus flagrantissimo amore intrepidus Pontifex Deo vitam voverat suam (*«Noi di tutto cuore la offriamo per la salute e per la pace del mondo»* ..) gravibusque curis affectus erat. Ingens luctus pervasit hominum animos, nam communis Patris vox restincta defuerat cum resonare debebat verbum pacis, concordiae, fraternitatis.

Tanto amisso Pastori successit ille cui in omnium votis erat quemque successorem suum in Petri solio nuper ipse defunctus Pontifex Purpuratis Patribus quondam ostenderat, quippe qui summo munere videretur: Eugenius Pacelli, Romanus, Ecclesiae rerum peritissimus, patris animo praeditus, pastor ab omnibus exoptatus. Pius XII, intrepidi Summi Antistitis vestigia secutus, hortari nationum Principes non desiit ut pacis fundamenta firmerent et omnia jurgia ad politicas res pertinentia resolverent pacificis conventibus pacatisque sermonibus (*«Con la pace tutto si acquista, con la guerra tutto è perduto»*).

Pontificis actio ad pacem tendens diuturnam explicavit operam ne belli fax accenderetur neve hominum jura pro nihilo ducerentur tempore praesertim quo gens una dominari vellet atque arbitraretur sibimet ceteris populis parendum ipsamque Ecclesiae vocem inermes jure meritoque defendentem quacumque ratione esse restringendam, tamquam si veritatis vox, ut res minimi momenti, facile opprimi possit. Adversus Germanorum partem, quae vulgo «NACIONALSOCIALISMO» appellabatur, Pius XI, Eugenii Pacelli auxilio fretus, encyclica epistula «MIT BRENNENDER SORGE» exarata, firmam vocem anno MCMXXXVII extulerat condemnans partis

illius rationes ex quibus multa humano generi fore pericula manifeste patebat. Quid nisi persecutiones et caedes expectari poterant ab illis praesertim quae adfirmaverat Adolphus Hitler in eo libro «MEIN KAMPF» inscripto? Achilles Ratti hoc opus damnaverat et catholicos monuerat ut caverent consilia illa magnopere abhorrentia a christianorum rationibus ad religionem et vitam pertinentibus. Nam nullum erat dubium quin Dei cultus saepiretur crebris suspicionibus quas effugere non poterat; Deus nihil aliud nisi grave obstaculum provehendae Germanorum nationi ducebatur, quia maximi progressum artifices regiminis essent principes, non Deus, qui est autem divinarum humanarumque rerum moderator.

Non omnes —ita cogitabant— eadem jura homines habent, segregandi vel delendi nonnulli, quippe qui, cum inferiores genere sint, deterius Germanorum genus, si forte sanguinis permixtio fiat, efficiant. Horribile dictum! Odio flagrantes regiminis duces in miseros Judaeos insevierunt tam crudeliter ut omnes delendos per veneficum aëra censuerint! Haec cum praevidisset Pius XI ante omnium oculos, invitis regiminis ducibus, pericula objecit: epistula encyclica cui «MIT BRENNENDER SORGE» initium, in suspicionem statim venit ita ut Germanorum Pastores ac sacerdotes eam quam occultissime christifidelibus legere cogentur (veritas enim plerumque nocet atque offendit) ac pervulgare ut caverent diabolicas rationes illas quando-cumque ad maximum rerum discrimen plurimos insontes procul dubio ducturas.

Belli eventus atque caedes, quibus —pro dolor!— naturale jus deletum profligatumque, Pii XI paterni metus plena cogitata ac praevisa ad effectum perduxerunt; evenit enim id quod defunctus Pontifex veritus erat: gens una ceterorum jura obterere cupiens omnia tanta vi evertere coepit ut ubicumque videres cruorem vulneribus effusum, lacrimas, gemitumque audires eorum qui sub Germanorum militum talo oppressi jacerent.

Pius XII ad Summam Cathedram evectus mense martio anno MCMXXXIX, paucis scilicet mensibus antequam belli fulmen Europam incenderet, gravi dolore percussus, ut quondam Pius X et Benedictus XV, omnia molitus eo consilio ut neces ac maerores ab hominibus averteret, diuturnam operam suam, orto bello, non praetermisit ut homines ad almam pacem redirent dominatusque nimiae cupiditates quam primum ad occasum vergerent.

At quo magis hominum manus sanguine manabant, eo magis caecitas in dies crescebat. Pontificis verba ad irritum cadebant eadem ratione qua pater bonus improbis liberis frustra loquitur; semen optimum in aridam terram decidebat. Quidnam erant hominum animi nisi ager ubi lolium et herbae nocivae crescebant, non flava messis tepescentibus solis radiis una cum dulcis favonii aura alitum praebentibus? Pontificis metus gravior autem factus

est ubi dilectissima Italia, certissimae victoriae spe decepta, quandoquidem Germanorum armis victoria laeta adhuc effulserat (at quidnam certi habent hominum fata?), in bellum una cum Germania descendere constituit anno MCMXL. Cor ejus curis angoribusque jam transfixum perfractum est, ut cum perfringi solet patris cor, ubi dilectissimus liberorum erroris iter ingreditur et regredi non vult

Attamen nullis pepercit laboribus ut pulcherrima Italorum regio quam minimo belli detrimento afficeretur. Tot saeculorum humanitatis et cultus opera evertere nonne humano generi dedecus? Si opprobrium est funditus delere quamvis civitatem, nonne parricidium sacrilegas manus imponere in Urbem, almam gentium matrem, Petri successoris Sedem? *«Se ognuna delle città colpite in quasi tutti i continenti è già un terribile atto di accusa contro la crudeltà di simili metodi di lotta, come potremo credere che alcuno possa mai osare di tramutare Roma... in un teatro di guerra, perpetrando così un atto tanto militarmente inglorioso quanto abominevole agli occhi di Dio e di una umanità cosciente dei più alti e intangibili valori spirituali e morali?»*. Ita locutus est die duodecima mensis martii anno MCMXLIV, expletis jam quinque annis a solemnibus die quo tergemina corona redimitus erat.

Caesarum et Pontificum Urbs nobilissima ignivomis globis percussa civium fletus resonuit. Romanorum dolor communem Patrem ad misericordiam compellit ejusque candida vestis, dum ad dilectos filios vulneribus excruciatos se flectit in vico cui a Sancti Laurentii Basilica nomen, cruore maculata mansit:

CUM - ALMA - URBS  
 IGNIVOMIS - ESSET - E - CAELO - VERBERATA - GLOBIS  
 PIUS XII - PONT - MAX  
 TANTAM - SUAE - PLEBIS - CLADEM - MISERATUS  
 MONUMENTORUMQUE - RUINAM  
 DIRUTA - LOCA - SOLATOR - INVISIT

(Card. Bacci)

Ac lacrimae «plebis suae» in a cordis percusserunt: quidnam Urbs fecerat cur tanta pateretur? Num quis monumentorum ruinam jure factam adfirmet? Num justum tam vetusta diruere? Dum urbes delentur, insontes cives mortem oppetunt, infaustum bellum per totum fere orbem saevit, gravissimum omnium temporum genocidium, unius pervicacissimi hominis jussu, fit: Judaeorum caedem dico atque eorum qui invisit erant factioni illi quae nationis suae dominatum exagitabat nihilque praeter eam ante oculos habebat. Judaei «Nazistis» ludibrio facti quaesitissimis poenis excruciantur; nomen eorum eripiendum; delenda gens. Extremus rei finis erat id ad quod Nazistae pervenire avebant horrendis illis ustrinis quibus usi in cinerem ventis spargendum hominum corpora transferre non dubitabant.

Summus Pontifex in Vaticana arce reclusus (haud pauci tum erant qui affirmarent Pium XII Nazistarum captivum quam primum fore) atrocissimis angoribus quotidie torquebatur nullamque in se invenire poterat vim: quidnam enim poterat in pervicaces qui orbem ferro ignique vastabant? Attamen omnia temptavit ut miseros cujusvis factionis vel religionis adjuvaret.

Quam multi Pontificis auxilio salutem invenerunt! Matres, uxores, filii, in dubio retenti ad Pontificem se vertebant ut atroci animi anxietate liberarentur atque de propinquorum valetudine certiores fierent. Qui in summa victus penuria versabantur, panis frustulum obtinuerunt; qui egestate afflicti corpus aegrotans medicamentis reficere non poterat, auxilium habebat; qui aedem suam mortiferis hostium ballistis caelo dejectis dirutam conspexerat, in Pontificis suburbanam villam Arcis Gandulfi hospitio est receptus; qui fugere ob abversariorum persecutiones cogebantur, tutum locum in Pontificis domo inveniebant; innocentes pueri necessaria ad vitam reperire quibant.

In compluribus orbis partibus Judaei, quorum vestigia Nazistae sectari non desinebant, per Episcopos vel sacerdotes mortem effugerunt et in tuto recepti debilitatas vires refecerunt. Pontificis opera silentio ac prudentia tecta omnibus majori saluti fuit quam si Petri successoris vox ex Vaticana arce aperte damnasset crebram insontium hominum caedem: Nazistarum rabies acrior non solum saevisset sed etiam impediisset quominus Pontificis opera erga miseros navaretur. Nullus homo tam stultus hisce invenitur diebus qui id existimet: omnino perissent etiam qui se vix servare potuerunt. Prudentia et consilio tum opus erat. In illo rerum discrimine erant servanda quae servari poterant.

Attamen sunt qui, viginti post annis, acriter arguant Pontificis silentium atque existiment Pium XII Nazistarum parti faventem lecutum non esse ne Germanis, quorum victoria sibi cordi esset, ullum detrimentum afferret. Haec ostendere conatus juvenis quidam opus nuper in lucem edidit: Rolphus Hochhouth, cujus drama («VICARIUS» libello nomen) in Pium XII vehementissimas reprehensiones iniciens Pontificem non solum subdoli hominis, rebus consulentis tantum suis, omnino obliti hominum salutis, partes ferentem inducit, sed etiam ante omnium oculos eum repraesentat tum sontem et reum discriminis in quo homines versantur tum vividam spem in corde foventem fore ut victoria, qua frui velit, Nazistarum parti quam primum effulgeat, ita ut de Pontificis criminibus, quasi Teuthonum non catholici gregis dux Pius XII fuerit, loqui auctor temere audeat.

Tantum odium potuit suadere impiorum! «*Un Vicaire du Christ qui a cela sous les yeux et se tait quand même par raison d'état, qui balance seulement un jour, qui hésite simplement une heure à élever la voix en une malédiction qui fait encore frissonner de peur le dernier homme de cette terre, un tel Pape... est un criminel!*» Horror invasit homines cum dramatis scaenae repraesentari coeptae sunt,

nam candida veste indutus vir quem Hochhouth loquentem inducit longe dissimilis apparet Pontificis illius, cujus laudes enumerari non possunt. Scaenica actio, ceterum dotibus non multum enitens, in se habet acervum rerum haud veri similia, quae ab acri odio profectae, animos exacerbant. Num Pontifex Nazistarum parti favit eorumque rationes benignis oculis conspexit? Num bella maluit quam crebris invocata precibus pacem? Num sui, non Dominici gregis, nimium se praebuit amatorem?

Attamen, pro dolor!, nonnulli, odio decepti, odii ignem alunt et eo per-  
vicacitatis perveniunt ut adfirmant horridum libellum optimum esse anteacti  
temporis documentum, ex quo patet Pontificem nihil hominibus servandis  
efficere voluisse ejusque silentium magis damnandum quam Nazistarum ra-  
biem, quibus Pius XII, sectator partiumque studiosus, subdolis artibus fave-  
rit.

Dum improbi accusant rabidumque virus, serpentium instar, iniciunt,  
ex omnibus orbis partibus vox defendentium se tollit: vox non solum eorum  
qui catholico nomine censetur, tum etiam —id magis proficit— eorum qui,  
a Christo alieni, erga justum tam injuste percussum caritate permoti, ab im-  
proborum impetibus Pontificis memoriam tuentur. Vocibus adduntur scripta,  
scriptis testimonia unde patet amantissimum hominum patrem, strenuum  
non solum civitatis suae tum etiam orbis bello conflagentis defensorem gra-  
vi illa tempestate se praebuisse Pontificem.

ANTONIUS PAGANO



# NOVA ET VETERA

## HIBERNI TEMPORIS IMAGO

1. Imaginem hiberni temporis dum intueris, fortasse et tu —ut Elisabetha quae domi quiete sedet sarcitque vestes—, e cubiculi fenestella domos camposque alta nive obtectos contemplaris variasque hominum vices et labores hieme perferendos percipis: ex quibus alii domi tenentur, alii acriorem hiemis vim in cottidianis laboribus sustinere coguntur, alii denique vel hoc tempore animum relaxant seque iucunditati dant. —Quid fiet? —Sic hominum varie agitantur vitae, ac tempora, quibus recte agant, eis tribuuntur.

2. Hiberno tempore, ut vides, inculti apparent agri, foliis arbores exspoliantur, aves in calidiores peregrinantur terras, viridaria florum decore et venustate orbantur, omnia frigore rigent, ac saepe domos, vias prataque nive conspersa videmus. Ut iuvat tunc animo nivem delabentem contemplari totamque naturam candida veste obductam demirari!

3. Sunt sane plurimae ex brumali tempore percipiendae utilitates: pluvia subinde irrigantur agri: seminaria et arbores nive conteguntur eaque terra fecunda et ferax redditur; tempestatibus ac ventis aër a pestilentibus purgatur exhalationibus et microbiis<sup>1</sup>. Hiemem quasi naturae extinctionem dixeris, cui tamen quotannis nova injiciuntur germina quae uberiores recentioresque vitam instaurent.

4. At multa secum fert incommoda hiems: rusticus saepe rus petere cogitur: ut terras fodiat, repastinet<sup>2</sup>, stercoret, ut pauca percipiat olera, ut lignationem faciat: —en tibi Antonius adulescens, qui truncos ramosque defert ut ad focum cum matre vidua rigida membra calefaciat iisque cibus pareretur, —en quoque Thomas lignator, qui arbores, materiario<sup>3</sup> et lignario<sup>4</sup> materiae<sup>5</sup> praebendae causa, resecat.

5. Sunt etiam opifices<sup>6</sup> et officiales<sup>7</sup> qui domi laborare nequeant, et ideo ad tabernas<sup>8</sup>, ad fabricas<sup>9</sup>, ad publica officia<sup>10</sup> adire constringuntur; qui, dum acris est hiems et per vias transeunt, corpori diligenter inserviunt illudque tuentur: pedes laneis tibialibus<sup>11</sup> ac peronibus<sup>12</sup> protegunt, thoracem manicatum<sup>13</sup> aut rhenonem<sup>14</sup> in pectus inducunt, collum amiculo<sup>15</sup> obvolvunt, caput petaso<sup>16</sup>, capitulo<sup>17</sup>, cucullo<sup>18</sup>, pilleo hispanico<sup>19</sup> cooperiunt; quibus saepe epitogium<sup>20</sup> aut mastrucam<sup>21</sup> addunt. Sed hujusmodi vestimentis se, cum ad laborem accedunt, exuunt; ditiores vero homines qui domi manent, aut qui in officiis laborant, calefactione centrali<sup>22</sup>, laconico butano acto<sup>23</sup>, foculo<sup>24</sup> carbonario aut electrico utuntur.



## IMAGO TEMPORIS HIBERNI

1	nix, nivis	nieve	10	silva	bosque
2	[puella] decursoria		11	petasus	sombrero
	nivalis	esquiadora	12	epitogium	abrigo
3	solea nivalis	esquí		lacerna	
4	globulus nivis	bola de nieve	13	tutulus	casquete
5	thorax manicatus	chaqueta	14	vir alpinus	alpinista
	rheno, onis m.	cazadora (de piel)	15	securis, is f.	hacha
6	amiculum	bufanda	16	lignator, oris	leñador
	[focale, is n.]		17	arbor, oris f.	árbol
7	chirotheca	guante	18	pilleus hispanicus	boina
8	truncus	tronco	19	fumariolum tabaci-	
	ramulus	ramo		num	pipa
	ligna, orum	leña	20	pupulus	muñeco
9	montes	montes	21	stíria, ae	carámbano
	montis cacumen	cima, cresta de la montaña	22	laconticum	estufa
			23	sartrix, icis f.	remendadora

6. Sed jam ad vos, morae taedium non ferentes, pueri, se noster refert sermo: pigri pueri tempus hiemale amant eoque delectantur, quia plus temporis somno indulgent, quia nimio frigore et frequentibus nivibus aliquando schola vacat. — Sed vos, diligentiores pueri et puellae, ex matutinis horis fructus capite: tunc enim hominis sensus vigilantiores vigent et mens tranquilla facilius — ubi Deum pie deprecata est— in litteras incumbit.

7. Inspicite imaginem: hodie schola vacat, decurrunt enim dies feriarum qui sub Natalitium Domini quotannis alumnis largiuntur. Pueri ad frigus arcendum in area<sup>25</sup> conveniunt, ubi aut globum maximum nivis congerunt, quem vel totis viribus impares sunt ad volvendum, aut pupulum<sup>26</sup> ex nive confingunt illumque ludentes pilleo hispanico, fumariolo tabacino<sup>27</sup> elegantique focali<sup>28</sup> ornant. Nunc ad niveum terriculum<sup>29</sup> astat Joannes ut oris lineamenta ex sententia absolvat; fratrem Isabellula<sup>30</sup> comitatur, cujus pallam<sup>31</sup>, tutulum, innexosque capillos<sup>32</sup> cernis.

8. Alii globulos nivis<sup>33</sup> comprimunt hisque inter se incessant ut hujusmodi corporis exercitatione frigus depellant; in quibus Cyprianus arridens adest nobis, victor enim in extrema pugna nivali excessit; tempus nivale in deliciis habet — quanquam adversus frigus, chirothecis<sup>34</sup>, pelliceo thoraci<sup>35</sup>, amiculo<sup>15</sup> satis bene se defendit—.

9. Nunc autem, superiore expleta pugna, vicinum tumulum cum amicis petet ut per nivem et glaciem decurrant, ex quibus alii — Jacobus et Albertus — super nivem congelatam se traha<sup>36</sup> vectitabunt, et facta impulsione, cum terra valde declivis sit, ambo trahae insidentes, vento velociore volantes, maxime se oblectabunt.

Alii — Marcus, Stephanus, Isidorus — soleis ferreis<sup>37</sup> super consistentem nivem seu in lubrico<sup>38</sup> delabentur, illumque virum gymnicum<sup>39</sup> et alpinum<sup>40</sup> — Paulum —, omnibus ad viam nivalem instructum paratumque, quadam animi admiratione et invidia permoti, montes ascendere prospicient.

En tandem Maria Anna, quae soleis nivalibus<sup>41</sup> et baculo<sup>42</sup> deducta commodum e montis cacumine cum aliis decursoribus nivalibus<sup>43</sup> descendit ubi et nivale curriculum<sup>44</sup> et nivitruha aëria<sup>45</sup> instrata sunt.

## VERBORUM INDEX

1	microbium	<i>microbio</i>
2	repastinare	<i>binar, arar, cavar de nuevo</i>
3	materiarius	<i>comerciante de madera</i>
4	lignarius	<i>carpintero</i>
5	materia	<i>material de carpinteria [para construcción], madera</i>
6	opifex, icis	<i>trabajador, obrero</i>
7	officialis, is	<i>empleado, oficial</i>
8	taberna	<i>tienda</i>
9	fabrica	<i>taller, fábrica</i>
10	officium	<i>oficina</i>
11	tibiale, is n.	<i>media</i>

12	pero, onis m.	<i>bota, borcegut</i>
13	thorax manicatus	<i>chaqueta, americana</i>
14	rhenus, onis m. thorax pelliceus	<i>cazadora (de piel)</i>
15	amiculum	<i>bufanda</i>
16	petasus	<i>sombrero</i>
17	capitulum	<i>gorra</i>
18	cucullus	<i>capucha</i>
19	pilleus hispanicus pilleus vasconicus	<i>botina</i>
20	epitogium superindumentum	<i>abrigo, sobretodo</i>
21	mastruca	<i>abrigo [forrado] de piel</i>
22	calefactio centralis	<i>calefacción central</i>
23	laconicum butano actum	<i>estufa de butano</i>
24	foculus	<i>brasero</i>
25	area	<i>plaza</i>
26	pupulus	<i>muñeco, monigote</i>
27	fumaritolum tabacinum	<i>pipa</i>
28	focale, is n.	<i>bufanda, [corbata]</i>
29	terrículum terrículamentum	<i>espantajo</i>
30	Isabellula	<i>Isabel, Isabelita</i>
31	palla	<i>abrigo (de niña)</i>
32	capilli innexi	<i>trenzas</i>
33	globulus nivis	<i>bola de nieve</i>
34	chirotheca	<i>guante</i>
35	thorax pelliceus	<i>chaqueta de piel, cazadora</i>
36	traha	<i>trineo</i>
37	solea ferrea solea labilis pedirota	<i>patín / patín sobre hielo, que se desliza sin ruedas / patín de ruedas</i>
38	lubricum	<i>resbaladero</i>
39	vir gymnicus	<i>deportista</i>
40	vir alpinus [oribata]	<i>alpinista</i>
41	solea nivalis	<i>esquí</i>
42	baculus	<i>bastón (de esquí)</i>
43	decursor nivalis	<i>esquiador</i>
44	curriculum nivale	<i>pista para esquiar</i>
45	nivitraha aëria	<i>telesquí</i>

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

# DE IDEIS PLATONICIS

Graecorum religio, quamquam Deorum mythis et fabulis poësim fecundabat, tamen viris, qui ingenii acumine valerent, non scatebat. Quare priores philosophi Graeci a mythis exorsi in ultimas rerum causas indagare consueverunt. Thales aquam, Anaximander infinitum, Anaximenes spiritum, Heraclitus ignem causam rerum primam statuerunt. Pythagoras vim ac naturam rerum omnium et universi ordinis in numerorum harmonia posuit. Xenophanes indignatus quod Diis doli, fraudes, adulteria adfingentur, «unum solum esse» dixit, aeternum, individuum, rationem aeternam, quae vi infinita omnia sciret et regeret. Quam rationem cum mundo esse conjunctam, unum cum eo constituere, nucleum ac fontem omnium rerum. Democritus infinitum ex innumeris, minimis iisque individuis atomis, quae sese attrahendo et separando cuncta facerent, constare docuit. Quem subinde secuti sophistae, omnia sibi cognita jactabant atque promittebant effecturos sese ut discipuli de omni re «scibili» palam dicere possent. Quos in inflatos Socrates acerrime est invectus. Non apparatu sophistico aut pompa discipulos verum indagare et argumentis comprobare docuit. Quod inchoaverat, id Plato, nobilissimus ejus discipulus, ad perfectionem absolutionemque perduxit. Una cum magistro, cui monumentum «aere perennius» posuit, se supra res perituras elevavit. Praeterea statuit eam unam esse veram scientiam, qua res perpetuae et immutabiles cognoscerentur et aditum ad ideas, quae supra res mundanas vicissitudinibus objectas versarentur, reseraret.

Antiqui in Deorum simulacris et signis non solum Deos repraesentatos, sed «incorporatos» videbant ideoque colere et venerari solebant. Inde idearum Platoniarum ratio est orta. Tota Platonis philosophia non tantum est forma quaedam quae veritatem divinam repraesentet, sed ideam divinam, veritatem ipsam divinam notione humana exprimit. Cum enim auctor exploratum haberet hominem principio vere cum Deo fuisse conjunctum, consequens erat ut existimaret hominem idearum ope bonum illud amissum recuperare atque ita naturam suam restituere<sup>1</sup>. «Quid enim est id quod semper est et non fit (Deus) et quid est illud quod semper fit sed nunquam est? (mundus). Prius cogitando ratione intellegitur, posterius vero sensibus videtur»<sup>2</sup>. Anima «rationalis» ideas, sensitiva vero res corporeas percipit. Anima rationalis per notiones se supra cognitiones sensitivas elevat, ut divinum in ideis intellegat.

---

1. Tim. 90 d.

2. l. c. 28 a.

Idae manifestationes ipsius «esse» divini sunt et, quaecumque in ipsa anima et in mundo sunt, ex eodem fonte lucido divino, unde et anima et mens «universa», emanaverunt. Tum solum cognoscere possumus, cum animae ideae, ideas universi, quae ipsis affines sunt attingunt et quasi contrectant, inter se penetrant et complent. «Idea est genus, quo multa, quibus idem indimus nomen, complectamur»<sup>3</sup>. Et alio loco: «Oportet hominem ope ideae, quae multis cognitionibus conflata ratiocinando in unum colligitur, cognoscere. Quod nil aliud est nisi recordatio quaedam eorum, quae anima olim cum Deo conjuncta viderat»<sup>4</sup>. Porro «ideae sunt ipsum «esse» deforme, sine colore, intactum, quod ab anima ratione duce videtur»<sup>5</sup>.

Idae aliae aliis sunt nobiliores; in rebus inferioribus inferiores, in superioribus superiores. In anima humana idea cognoscendi, volendi, appetendi. In cognoscendo idea unitatis, pluralitatis, aequalitatis, inaequalitatis. Sed ideae nobilissimae sunt: idea veri, pulchri, boni, justii, quibus reliquae constituuntur. Ut idea pulchri nos ad vitam nobiliores et ad videndum divinum ducit, ita idea veri a rerum mutabilium cognitione ad divinum immutabile cognoscendum. Solum verum est τὸ ὄντως ὄν. Omnia quae sunt, nos de vero admonent. Quam ideam qui non percipit neque quid sit ipsum «Esse» seu «verum in se», is nil recte cognoscit quoniam tum solum res recte cognoscitur, cum ejus ad primum esse «et primum verum» ratio et necessitudo percipitur. Ideo ideae ipsius «esse» et veri in unum coeunt. Ut idea pulchri animam ad contemplandum «esse» divinum inflammat, ita idea veri in «esse» divino stabilis et confirmat.

Quibus praemissis primum pauca de idea veri dicamus. Graeci, cum Deus oculis videri non possit, ejus vestigia, ut auri venam fossor, perscrutabantur. Quam methodum «artem dialecticam» nominabant. Esse artem vere divinam asserebant, qua anima ea, quae olim casu sinistro amisisset, reciperet et cum ideis, quarum meminisset, conjungeretur. Esse quoque scientiam, eo quod omnia, quae ideis contineantur, percipiamus, nos «verum veri» cogitare et ideam divinam apprehendere. Ex arte dialectica sic intellecta apparet cur Plato eam «animarum ducem» *φυλαγωγία* nominet<sup>6</sup>. Oportet nos cogitationes nostras divinis applicare et adjungere, vestigia diversa per infinitum relicta sequi. Hinc enim fit, ut divino assimulemur et vitam divinam participemus. «Qui veritati indagandae sedulo animum applicat, certe scit sese immutabile quid ac divinum cogitare et, quantum per naturam humanam liceat, immortalitatis fieri participem et, cum semper divinum exspectet, peculiari modo beatum esse»<sup>7</sup>.

3. Respl. x 596 a

4. Phaedr. 249 2.

5. l. c. 247 b.

6. l. c. 361 a.

7. Tim. 90 b.

Jam Platonem altius in verum inquirentem sequamur. Cognitio, quae sensibus fit —sensitiva— nondum est vera scientia, cum haec firmum quid sit ac stabile. Quare cognitio, si verae scientiae laude sit ornanda, ad rationis principia revocanda videtur. Tum enim solum anima, cum inter varias cognitiones firmo rationis quasi saxo innititur, scientifice judicare potest. Variis sensibus varia percipimus, res albas, nigras, virides, sonos altos et obtusos. Sonos altos ab obtusis, colores albos a nigris distinguimus. Quae distinctio sensibus fieri nequit, sed ab anima proficiscitur, quae per se in ea inquit quae diversis cognitionibus sunt communia<sup>8</sup>. Dicunt philosophis animam notiones cum notionibus conferre et alias ab aliis discernere veramque philosophiam incipere, cum anima cognitiones sensitivas firmis ordinat principiiis, definit ac metitur.

Nondum autem Plato id, quod vult, est assecutus. Quaerit igitur num forte scientia in iis consistat, quae anima sibi ex cognitio repraesentet. Negat prorsus. Facile enim fit ut cognita falso sibi repraesentet vel cum alias cognitio confundat. Quod minime verae scientiae contingere potest. Tum tantum vere et recte cogitamus et veram consequimur scientiam, cum cogitata principiiis veri et ipsius «esse», id est, ideis innituntur. Qui, dum cogitat, non ad aeternae veritatis principia confugit, is non est verus philosophus. Fundat Plato veritatem aeternam ideis, fundat philosophia perennis revelatione divina. «Oculus animae» multorum hominum nequit semper ad divinum esse intentus. «Τὰ γὰρ τῆς πολλῶν φυγῆς ὄμματα καρτερεῖν τὸ θεῖον ἀφορῶντα ἀδύναται»<sup>9</sup>. Is solus qui est in veritate possessa, vim veri ac naturam cognoscit et a falso discernit. Quid Scriptura dicit? «In lumine tuo videbimus lumen» (Ps. 35, 9).

Per quattuor gradus ad scientiam ascendimus: *eikasía* id est subobscura rerum cognitio, quam paene nihili facimus; *πίστις*, qua cognitioni adstipulemur; *διάνοια*, qua scientiam mathematicam, arithmetica, geometricam amplectamur; *νόησις*, qua supra mathesim transgrediamur.

Jam ad ideam *pulchri* venimus. Ut omnium rerum ideae in divino existunt, ita et idea pulchri. Idem pulchrum in sonis, coloribus, formis, ordine morali et physico conspicitur. Et quoniam artifices Graeci divinum ipso pulchro praecipue manifestari putarent, consentaneum erat Platonem hanc ideam summi fecisse. Ideo in omnibus dialogis pulchrum attingit. Fusc autem et accurate in Phaedro de eo agit. Gradatim a minore ad majus ascendit. Oportet animae pulchritudinem pluri fieri quam corporis. Pulchrum in moribus et legibus cognosci. Indagandum in pulchro, quod in sermonibus et scientiis insit. Denique inquirendum, in pulchrum illud, quod nec fiat aut pereat, nec augeatur nec minuatur, sed quod semper sit. Pulchrum non ex

8. Theat. 185. Phaedr. 83.

9. Soph. 254 a, b.

parte, sed ex toto, quod non facie venusta aut sermone, non scientia aut ulla re repraesentatur. Idea pulchri, aeterna et immutabilis, ex omnibus rebus lucide effulget. Ut nec speciebus formisve, quibus se manifestat, minuitur aut diluitur, ita nec ab iis se separat, sed vivide iis inhaeret. Atque hic pulchri ordo, quem in rebus videmus, videntium mores reddit meliores. Nam cum pulchrum se ut scalam eo dimittat, quo anima corpore quasi immersa habitat, efficit ut sursum ducamur eo quo «sensibile» transit in id quod est supra sensus, et in aeternum ac divinum pulchri fontem influit. Vere pulchrum in solo pulchro aeterno perfecte inest.

Cum pulchri idea «amor ille Platonius» —saepe falso sumptus— cohaeret. Qui amor nihil aliud est nisi cupiditas, quae ex visis rebus pulchris nascitur quaeque in nobis desiderium illius pulchri excitat, ex quo possessio, anima olim deciderat. Memoria pulchri amissi fervidam in nobis excitat cupiditatem recuperandi id quod amissimus quodque tantopere desideramus. Ergo amor Platonius molli amori non est aequiperandus, sed nobilis humanae naturae studium heroicum est, quod ex mundo «in maligno posito» eo tendit ubi anima non cupiditatibus absumitur, sed requie ac pace in sphaera divinae vitae fruitur. Amor igitur hic sanus est et justus, sensus desideriumque patriae amissae, quo homo antiquus caeca et insatiabili vexabatur siti.

Restat denique, ut *ideam boni* paucis illustremus. Ionii vitae ethicae normam in legibus cosmicis, Pythagoraei in rerum ordine et harmonia, Plato vero in ipsa natura humana collocavit. Perfectio hominis et absolutio ethica vis est et sanitas: *ὕγιεια, σὺβεξία*<sup>10</sup>; pravitas animae morbus quidam. Eruditio elementum princeps ethicae est et eo spectat ut natura humana plene explicetur ac evolvatur. Cum ethica christiana officia —mandata divina— supponat, quibus homo se subiciat et propter quae se voluntati divinae committat, Platonem paganum ejusmodi officia latebant. Tum enim solum officia cognoscuntur exsequenda, cum ea, quae inter Creatorem et hominem, libero arbitrio instructum, viget ratio et conjunctio clare apparet. Plato autem nec personae nec libertatis notionem est assecutus. Caret igitur ejus ethica libertatis, personae, officiorum notione. Agnoscit autem auctor auxilium supernum necessarium, quo anima cupiditates vincat. Quod auxilium in idem, in «bono» potissimum collocandum censeat. Ut ethica christiana docet nos in una Ecclesia, ita Plato arbitratur hominem in sola re publica bene constituta et ordinata recte honesteque vivere posse. Hinc nobilem et grandem rei publicae rationem excogitavit, quam haud immerito divinationem atque adumbrationem futurae «Civitatis Dei» dixeris.

Idea boni est nobilissima. Nihil enim est pulchrum, nihil verum, nihil prorsus existit, quod non aut participet bonum aut inde oriatur. Idcirco idea

10. Rep. IV, 444.



boni est universalis notio divini. Quam ideam qui intellexit, is vim ac mundi naturam et omnium rerum causam cognovit. Quantopere Plato ideam boni proprium divini intellexerit, patet ex iis, quae sequuntur «Oportet esse malum bono contrarium. Sed malum hoc non locum inter Deos habere potest, sed naturae humanae terraeque huic necessario inhaeret. Quare hinc quam citissime eo fugere studeamus. Fuga autem proximo ad Deum accessu fit. Accedimus autem bonum et pium facientes»<sup>11</sup>. Deus igitur bonitate intimam ac maxime propriam suam manifestat naturam. Nam idea boni omnium fons est et origo. Quis hic non «Deum esse summum bonum» intellegat?

Idae Platonicae facile revelationi divinae aequiperantur. Etenim sese ad res, quae videntur, habent, ut revelata dogmata ad eas veritates, quae ex illis deducuntur et iis ut in nucleo continentur. Atque quemadmodum ideae Platonicae totum infinitum ab infimo ad supremum gradum veluti complent, ita dogmata in totum vitae christianae ordinem descendunt et nos ad ipsam SS. Trinitatem perducunt, in qua omnes veritates resident et, quidquid habent, ab ipsa accipiunt. Denique ut ideae fontes *πηγαί* sunt, unde res quaequaque emanant, ita, quaequaque Patres et doctores Ecclesiae cogitarunt, ex dogmatibus, divinae veritatis fonte perenni, repetivere et explicuere.

Praestantissimum sane opus laboriose confectum nobis auctor proponit. Unde elucet quam sublime homo solo rationis lumine praeditus se levare possit. Nec tamen scoriae operi admixtae praetereundae videntur. Nam ideae, rerum imagines, intellectu nostro finguntur: conceptus universales—. Ut «proto-imagines» intellectu divino continentur. Dicit quoque Plato ideas separatas ab intellectu nostro vere existere. Ergo inde sequitur necessario fuisse ab origine «proto-hominem, proto-equum, proto-denum, proto-florem», cet. Ad ideas Platonicas iis solis, qui indole sat magna et eruditione dialectica polleant, post diuturnas animi contentiones, patet aditus. At dogmata christiana vel simplici homini facile manifestant veritates, cum non «substantia divina inclusae» sint sed divini amoris «Verbum» decursu temporum prolatum. Ideae Platonicae, etsi quis est assecutus, frigidae, amore carentes manent, quod notione quidem splendeant, nec tamen praestent quod promittant. Fuit enim Plato pantheista, non hodiernus, sed antiquus. Ut Graeci proprios omnium rerum Deos habebant, ita auctor noster ideas. Atque quemadmodum prudens Pallas Athenea, lucida Venus Urania reliquas Deas, Juppiter optimus maximus, vitae auctor, ceteros Deos, ita ideae veri, pulchri, boni reliquas superabant.

Alte Aurelius Augustinus, ingenium vere profundum, de ideis cogitabat nec unquam penitus ab iis recedebat. Quaecumque vera in iis insunt, ad justam et ingenuam veritatem, ad perfectam redegit claritatem. Nec parvi

---

11. Theat. 176 a.

momenti eas esse ducebat. «Tanta in iis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens nemo esse possit» (de divers. quaest. XLVI, de ideis 1). «Sunt namque ideae principales formae quaedam vel rationes rerum stabiles et incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur» (1. c. 2.). Doctor Angelicus: «Quia igitur mundus non casu est factus, sed est factus à Deo per intellectum agente, necesse est quod in mente divina sit forma ad cuius similitudinem mundus sit factus. Et in hoc consistit ratio ideae. (S. Th. I, qu. 15, art. 1. concl.) «Ipse enim per essentiam suam perfecte cognoscit. Unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaque autem creatura propriam habet speciem, secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit eam ut propriam rationem et ideam huius creaturae» (1. c. art. 2. concl.).

Plato, Aristotele aquilino volatu superior, inferior mentis acumine, quamvis multis deinceps erroribus dederit locum, tamen innumeros viros ex «materialismi» palude et humili «rationalismi» valle in altum «idealismi» culmen evexit, fecundavit veritatisque fecit capaces. Nec parvam philosophis aequae ac theologis materiam subministravit. Idem, cum reliqui philosophi doctrinam sicce et jejune soleant tradere, philosophorum poëta, pontem inter sapientiam et litteras fecit cum summo eruditionis litterarumque emolumento. Animam immortalem statuit divinarumque idearum consortem. Idea pulchri nos inflammat et ex imo sursum in pulchrum aeternum tollit. Idea veri ad intellegendum verum adducit. Idea boni divinam causam demonstrat et fontem, unde omne bonum, verum et pulchrum profluit.

N. MANGEOT, S. J.

# NATALE SOLUM

CARMEN ELEGIACUM  
IN CERTAMINE POETICO VATICANO  
PRAEMIO «PUBLICAE LAUDIS» ORNATUM  
ANNO MDCCCCLXII

*«...longumque perosus  
exilium tantusque loci natalis amore ..»*

(P. OVIDIUS NASO, Met. 8, 70.)

Inter Vulturnum medium stans atque Saonem  
castellum dives turribus ecce vides;

inde patent colles Sidicini et rura Teani,  
circum planities undique lata nitet.

Maxima turris adest ubi janua panditur alta;  
septem turriculae moenia parva regunt.

Maxima turris adhuc procul adspicientibus exstat;  
turriculas hederae laetae oleaeque tegunt.

Inspectum properans i cuncta ruentia, lector:  
anno post, forsan, tardius esse potest!

cuncta voraturum fugit irremeabile tempus;  
tempus edax vincant ter mihi cara, precor!

Unde meam sumpsi vitam, paulo ante revisi  
hoc natale solum corde tremante mihi:

Maesta sepulcra docent medio de colle cupressi,  
ad quas ossa Patris, Matris et ossa cubant;

Te quoque dulce penes Matremque Patremque cubantem  
mota cupressus item te, soror alma, docet,

quum Pater immenso semper dilexit amore,  
fratrum prima tenens maesta sepulcra, Rachel!

Sic mea fracta jacet domus, ut labentibus aervis  
res hominesque solo fata redire jubent.

At nondum soles fulgerunt quattuor ex quo  
corruerunt misere tecta laresque mei.

His puer heu frustra muris epigramma parabam  
aeternum vatis nomen habere studens:

*«Hic satus est vates sancto de sanguine quidam  
cui Venusina placent mellaque Vergilii;*

*Nulla futura sibi, Christumque suosque secuto,  
Ausoniis Musis utiliora ratus».*

Quam meus ipse domum posuit Pater optimus, emptor  
diruit externus nuper avarus herus.

Desuper adspiciens domus in praerupta, superba,  
spectanti apparet nunc patefacta specus!

Non ego credideram, —cum te recinebat amoenam  
felici puero parva Camoena mihi—

non ego credideram, fractis lauroque domoque,  
his mea tot lacrimis ora perusta fore!

Altior hic Matris lectus stans; angulus illic  
cunarum: felix angulus unus erat!

Amplae quam cunae! Pater aedificaverat illas;  
dormitabamus frater et ipse simul.

Nigra culina patet; fuit hic conclave Sororis;  
illic Henricus membra levabat iners.

Quo ruit et stabulum? quonam vinaria cella?  
Straturis fractis cuncta sepulta jacent!

Quocumque adspicio domus est «herbaria cella»:  
ruderibus caecis herba maligna favet.

Tristis abyssus hians, me conspiciente deorsum,  
Taenariis sicut janua aperta viis,

est mea facta domus, cunctis miseranda vorago:  
vere, ubi hirundo loquax tunc fuit, anguis erit!

Una mei fuerat Sancti Felicis hirundo,  
cui dedit ad nidum tum mea cella trabem.

Quam dulces pulli, quam tristis itemque recessus,  
dulcis sed reditus nidificantis avis!

Stant scalae et muri, dicunt quos jure «magistros»;  
statque meum tecti pars penetrabile tegens.

Inde, foris horti splendent ornisque oleisque:  
 parva mori fugiens gramina sivit herus.  
 Triste cano Sancti et —quondam!— Felicis amarus  
 casus: est functi membra videre solol  
 Jam fuerat pagus; jam nunc spineta virescunt;  
 omnes pervadunt dumus et herba vias.  
 Undique, qua superat muros turresque patentes,  
 est male ruta virens et caprificus olens.  
 Ulmus ubi immensis pandebat tegmina ramis,  
 sub quibus ipsa meae tecta fuere domus,  
 hic ubi festivo resonabant tempore plausus,  
 perdidit hora fugax somnia cara mihi.  
 Hic meus intente gaudebat ludere gnarus  
 saepe pila —juvenes dum docet— ipse Paterf  
 Heu fugiunt horae... Sic res hominesque, volantis  
 pulveris instar, eunt, quem rapit aura Noti.  
 Cuncta ruere, velut mortis robigine tacta,  
 aut velut irati Numinis octa manu.  
 Namque vias —sicut, mota tellure, dehiscunt  
 omnia facta cinis— rudera jacta tenent.  
 Cuncta silent, nam cuncta —domusque viaeque— sepulcra:  
 est etiam stabulis mortuus omnis odor.  
 Ipsae campanae —nisi quis caprarius illas  
 saxa jacens pulset— nocte dieque tacent.  
 En objecta jacent soli pluviisque domorum  
 cara: viae monstrant quae dominata domil  
 Tempa ruunt, postquam sacri periere Penates:  
 splendor ubi fuerat fulgidus, horror adest!  
 Sacra suis Sanctis fugiunt idola, relictis  
 aedibus et oculis quos tenere diu;  
 ex quibus effugient, muris pereuntibus, olim  
 alati mures, cetera et antra petent.  
 Antra ubicumque patent; fuerant illa atria et aedes,  
 atque fuere domus... Porticus una manet!  
 Jam domibus fuerat vitis solaria inumbrans,  
 vestibulum, scalas, impluviumque patens!

Dulce tamen functi mihi mortua visere pagi:  
 illa mei Patris, Matris et haecce domus;  
 illa via in «curva» est —dicunt quam nempe «Paonum»—  
 hanc prope turris adest maxima, «recta» via est.  
 Hic mihi Mater adhuc mea parvula adesse videtur;  
 Angela cum Dora est; Linaque nata minor.  
 Haec mea Mater erat, tres inter amata sorores;  
 Murrolus illarum (scriba - poëta) pater,  
 carmina qui chartis mandavit nulla (beatum!);  
 ejus adhuc vulgo disticho saepe sonant:  
 «—*Campanas, puer, assidue quid inane retundis?*  
*Ad missam veniet femina si qua pia est!*  
 —*Panis qui nostrae frontis sudore madescit*  
*vires plus firmat, plusque saporis habet!*  
 —*Sordida semper erunt, annis labentibus, usu*  
*calceus et vestis: pulchra puella, vide...*  
*si tibi tam niteat vultus rubicundus amore,*  
*pulchra puella, vide ne tua fata cadant;*  
*castum nomen erit tibi, cara puella, tenendum:*  
*infamem vitam vincere morte potes!*  
 —*Cum dicant cerasos cerasis nimis esse refertas,*  
*quala domi maneant, ferte quasilla, precor!...*».

Frondentem tiliam, ramos mulcentibus auris,  
 conspiciunt veteris rudera maesta fori;  
 Fixit humo Fuscus jam scriba notarius illum,  
 cujus perscripsi carmina multa puer.  
 Ille me pagi, referens proverbium quondam  
 parva mei legit disticha laetus avi,  
 quae mihi jam placuit Musis offerre Latinis,  
 natalis tanto tactus amore soli.  
 Salve cara mihi, tilia, ut regina beata,  
 quae mecum nata es... nunc mihi cara magis;  
 te mecum natam vivus peramanter amabo:  
 jure viderer enim te moriente mori!

Cincta nites tanto quamvis squalore, renides  
cincta velut spinis mille vetusta rosa...

Quid memorem celsas quercus, harumque catervas?  
noster erant olim tam celebratus honor!

Quid iuvat hirsutas jaculis memorare cohortes,  
quarum tot turmas Indica ficus habet?

Nec valere suas voces opponere morti  
immanes oleae, nec valere rosael...

Mortem fortis adhuc valuit nec vincere castris  
turris, quae vicit fulmina caeca poli...

Vos Genitoris amans memorem, vos usque sodoles:  
te, «Moscate» niger, teque «Priole» canens!

Hi duo nam fuerant cantores, immo poëtae,  
quorum versiculos hic quoque ferre iuvat:

«—*Subdola, iustitiae lima properante, dolantur:  
a raptis oleis lumen inane petes!*...

—*Ne mittas, oro, carptum tua poma Philippum:  
amittes illum, poma, canistra simul!*...».

Colloquiis variis optantur disticha nota;  
additur: «Haec Fuscus», sive «Priolus ait».

«*Campanas, puer, assiduas... et cetera, si quis  
ista sonat, «Joseph Murrolus inquit» ait.*

Tu, «Moscate», redis... tu, care «Priole» redibis,  
namque valebit avum reddere quisque nepos.

Si periere patres, renovant hos inde nepotes,  
passibus iste gravis, candidus ille comas...

Notos conspiciens montes camposque saluto:  
ad mare longinquum planitiemque feror.

En Minturnarum spumosum candida pontum  
sole sub occiduo carbasa lina legunt.

Ferreus adducens raedas traheasque vapore  
populeas turmas currus et arva secat.

Hinc quae Matesis surgunt altissima cerno  
 perpetuis nivibus culmina tecta jugi.  
 Hic prope collis adest, nomen cui Sancta Maria,  
 cujus adhuc manibus saxa rotare placet,  
 quaque meas bis sex «Franciscantonius» olim  
 cum binis capris pastor agebat oves.  
 Vos quoque semper amo colles hinc inde minores,  
 mi «Moretelle» virens, Sancte «Nicander» olens;  
 alter qui cytiso, silvestribus alter abundans  
 pinis; lentisco collis uterque ferax.  
 At magis iste mihi dilectus «Sancta Maria»  
 collis, quod saxis candet ubique suis;  
 Ipse meus Genitor vivis radicibus ejus  
 maesta sepulcra suis condidit atque domos.  
 Num fuerat structor? Minime dein reddidit illum  
 structorem lucrum, sed pius artis amor  
 Tot, Pater, o quotiens lacrimis madefactus abortis,  
 applicui muris oscula grata tuis!  
 O quotiens volui (desideriumque fefellit  
 res!) intra muros hos habitare tuos!  
 Dulce tuos inter quantum requiescere muros,  
 quos tua, amate Pater, struxit adusta manus;  
 et tua dulce mihi fieret sperare sepulcra:  
 somnis aeternis somnia sancta darent!

\* \* \*

Fracta nivis nimio cecidit sub pondere laurus  
 quam cecini numeris carminibusque meis,  
 virgultisque novis en ex radice resurgit,  
 et redeunte sibi vere virescit olens;  
 sic mea Felicis Sancti stirps nomine digna,  
 instar Phoenicis, immo, perennis avis,  
 nullo dein cinere et fato meliore, resurgit:  
 non perit omnino, dum perit, ecce redit!



Turribus adstat adhuc vivis in vertice collis,  
 atque novis domibus collis ad ima nitet.  
 Saxa nec interea scandit nunc lassus asellus,  
 cum lympa assiduus ligna onerosa gerens;  
 Majo mense, tamen, leviter, stimulatus amore,  
 nolam saepe petens saxa per illa volat.  
 Heu quotiens, pueris tot conclamantibus, illum  
 densa saxorum grandine fugit amor!  
 Nec crepitant veteres ollae et quae stannea caudis  
 cetera juncta canum desuper acta ruunt;  
 nec tonat ima petens montis nemorisque rotundum  
 saxum, dum pariter cor mihi mensque tremunt!  
 Heu ruit hora mihi felicitis temporis una:  
 saepe, reversus adhuc, huc ego saxa rotem!

Prima salutantum resonet vox nota per auras  
 haec mea, surgentes inspiciamque domos:  
 tecta laresque mihi quotquot sunt cara, revisam,  
 irriguos hortos, florea prata petam.  
 Nec turre cupiam, cupiam sed strata viarum,  
 fontem perpetuae prosilientis aquae.  
 Quercubus in mediis flavescant, inter et ornos  
 fructus, quos croceos Indica ficus alit,  
 quos habet et roseos furnis lentiscus amicus;  
 undique frondescant buxa, vireta magis!  
 Nec vites, oleas, cerasos, memorare necesse,  
 quas, natale solum, dives ubique geris.  
 Sis felix! iterum te corde iterumque saluto:  
 sit tibi perpetuum nomen et alma quies.  
 Meque tuo spero cincturum tempora lauro:  
 rustica namque tui gloria vatis erit!

RAPHAËL PAONE

# Epistularum inter socios commercium

*P. Caelestis OSB. Patri Josepho Mariae S.*

Reddita est mihi, mi Domine, cum epistula Tua jucundissima cursu aërio missa tum novus fasciculus PALAESTRAE LATINAE benigne jam praenuntiatus, qui est hujus anni primus.

Atque primum quidem me interrogasti de accentu vocabuli, quod est *aëroplanum*. Hujus verbi syllaba antepaenultima acuenda est, ut dicatur: *aëróplānum*, cum Graeci ipsum nomen adjectivum enuntient *πλάνος*. Hinc jure colligitur ð litteram paenultima syllabae brevem esse. Sed etiam ipsum adjectivum, quod est *ἀερόπλανος*, -ον, apud Hesychium, lexicographum illum saeculi quinti ante Christum natum, legitur. Quae res in praecipuis lexicis dierum nostrorum invenitur, ubi haec, quae sequuntur, dilucidius indicantur:

STEPHANI, *Thesaurus Graecae linguae*, vol. I (Graz 1954), p. 769:

*ἀερόπλανος*, -ον(πλάνος) = *aërem pererrans*.

Hesychius (lexicographus) ita explicat

LIDDEL-SCOTT, *Greek-English Lexicon* 9, Oxford 1958, p. 28. *ἀερόπλανος*, -ον, *wandering in air*.

Certo quidem scio a neograecis dici *ἀεροπλάνον*. Sed hic accentus inde videtur effectus esse, quod in sermone vulgari syllaba nominis simplicis acuta retinetur etiam in verbis compositis, id quod etiam in sermone vulgari Latinorum deprehenditur, ubi exempli gratia dicitur. «*renégo, edóce, calefá-cit, penétro*». Tamen cum bene latine loquimur, dicimus «*rénego, édóce, ca-léfacit, pénetro*». Itaque etiam dicamus oportet: *aëróplānum*. Ceterum mihi quoque nomen *aëroplanigae* probatur neque melius habeo, quod proponam. Haec hactenus.

Deinde summo studio perlegi, quae de ferrivia et itineribus tramine faciendis scripsisti. Ibi scitissime demonstrasti nomen traminis esse vere latinum. Sed minus mihi probatur «*via ferrea*» (p. 256, 258 [adn. 27], 259 [adn. 28]), quippe quae via non sit ferro strata, sed tantummodo ferrata (cf. LATINIT. 9 (1961) 127, adn. 39, ad extremum). Deinde putavi «*traham*» magis esse vehiculum quod trahitur quam quo ceteri currus vehantur. In lexico autem Forcelliniano (vol. IV, pag. 765) leguntur haec: (*traha*) «*est genus vehiculi sine rotis, quo rustici utuntur; non enim volvitur, sed trahitur. Est etiam instrumentum, quo veteres super glaciem utebantur. Item est machina, qua navis in siccum trahitur*». — Est ergo vehiculum tracticum, non tractorium.

Idcirco illam machinam vectoriam (seu tractoriam, quae ne motrix vel vectrix vocitetur [cf. PAL. LAT. n. 183: 33 (1963) 137, adn. 42]) malo machinam vaporariam appellare (cf. GAILER, J. E., *Neuer ORBIS PICTUS für die Jugend*, Reutlingen 1833, p. 538: Currus vaporarii simplices currus sunt machinis vaporariis pulsi).

Ubi autem dicitur 'semaphora' (p. 261, adn. 57 —quod vocabulum in lexico meo neograeco minore (seu manuali) non inveni— fortasse etiam dici potest 'signa malorum signalium' (Germanice: **Signalmast** = malus signalis; cf. FORCELLINI, vol. IV, p. 361). Sed doleo, quod de significantia hujus vocabuli penitus perquirenda schedas in Monacensi Thesaurō linguae Latinae collectas nondum inspicere potui.

Denique de regulis ferreis curriculi ferriviarii (p. 258 sq. [adn. 28] et p. 267-269) quaeso pauca permittar adnotare. Nam curriles antiquis ita dicuntur equi, qui currum trahunt (ThLL IV 1507, 66-73). De vocabulo autem 'lirae', quod Carolus Pulchrimontanus, professor ille Dilinganus celeberrimus, proposuit, Dr. Johannes Wieland, unus e scriptoribus Monacensibus Thesauri linguae Latinae, mihi rescripsit hoc nomen parum idoneum esse ei rei significandae, quae nobis est **Schiene (rail, riel, carril, rotaia)**, cum in litteris latinis inveniuntur haec:

ISID. orig. 15, 15, 6 porca est quod in arando exstat; quod defossum est, lira.

NON. 17 lira... est fossa recta.

Sed P. Basilius Hypeau, monachus ejus abbatiae, quae est vulgo **D'en-Calcat**, —nomen latinum nescio— mihi pro sua comitate per litteras a. d. Kal. Apriles Dornio (= **Dourgne**) datas haec rescripsit: «Tuis litteris lectis memini Professorem Michaëlem Rambaud in conventu Argentoratensi de de voce «rail» latine reddenda verba fecisse. Haec fere explicavit:

—vox anglica vel gallica «rail» originem ducit a voce latina «regulae» (idem consentiunt lexica etymologica, quae nuper consului, linguae gallicae, sive ab Alberto Dauzat, sive a Professoribus O Bloch et W. von Wartburg edita).

—itaque, si latine «rail» exprimere volumus, nulla alia vox suavit, sed etiam exemplis confirmavit quibusdamque textibus, quos apud auctores antiquos invenerat». —Haec habui, quae adderem adnotanda. Cetera mihi perplacuerunt.

Incolumem Te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS OSB.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 22 m. Aprilis anno 1964.

P. *Caelestis Eichenseer OSB. Josepho Mariae Mir, Domino Reverentissimo S. P. D.*

His diebus in tertio fasciculo Actorum Apostolicae Sedis legi haec: «[**Paulus VI, Summus Pontifex,**] aërovehiculo quattuor machinamentis instructo proficiscitur ex aëronavium portu ad Fossam Trajanam, v. [= **vulgo**] «**Fiumicino**». Antequam aëriam navem conscenderet... (AAS 56 [1964] 158).

p. 159: ...ab Hussein Rege in aëroportu comiter exceptus...

p. 179: ...Summus Pontifex eodem quo venerat aërovehiculo Romam rediit.

p. 180: ...in aëronavium portu v. d. [= **vulgo dicto**] «**di Ciampino**».

De vocabulis autem compositis Johannes Carolus Pulchrimontanus die 20 mensis Aprilis haec rescripsit:

«Si pars posterior verbi compositi latina est, vocalis juncturae -i praeferenda est, ut aërivagus, si est graeca, o scribatur, ut aëroplanum».

Deinde per litteras die 27 mensis Aprilis benignissime Dilingō datas addidit renuntiavitque haec:

«Vocalis o in graecis compositis apparet, si prius membrum in -ος desinit aut ejus genitivus suffixum ος habet: λογογράφος σωματοφύλαξ, etiam ρίξοτόμος (etsi ρίξα femininum est, sed valet analogia!). Sed sunt etiam composita velut ταξιλόχος, πλήξιππος, νυκτιπόρος, αϊγιβότης aliaeque formae. Romani autem vocalem -i amaverunt: armiger, frugifer, sacrificus, sacrilegus, causidicus, veriloquium, agricola, caelicola, monticola, lucifer, juridicus, carnifex, homicida, etc. etc. Sed beneficium, beneficus».

Denique in thesauro, qui dicitur, linguae Latinae (vol. I, 1061, 80-82) invenitur hic locus unicus:

CHALC. transl. 40 constituitque **deus** quattuor **animalium genera..** aliud deinde praepes aerivagum (PLATO πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον).

Ergo melius dicatur: aërivehiculum, aërinōvis, aëriportus, sed aëródromus (cf. TONDINI-MARIUCCI, *Lexicon novorum vocabulorum*. Romae 1964, p. 18), cf. ThLL VI, 3 2815, 35 sqq.: hippodromus, -i m. Haec hactenus!

De ferriviae nomine Johannes Carolus Pulchrimontanus in iisdem litteris die 27 mensis Aprilis datis haec iudicavit: «Quod *Bacci* p. 268 hujus fasciculi [PALAESTRAE LATINAE n. 185] proposuit «**vía ferreis ductibus (axibus) (con-)strata**» minus placet, nam non intellego, quid *axes* sibi velint, deinde *strata* non placet, nam «**vía lapidibus strata**» tota alia est: hic lapides multi se attingentes significantur, «**Schienen**» vero (i. e. **regulae ferreae**) inter se distant. Quamquam «**vía ferrata**» nequaquam satis clarum est. Melius puto esse *ferróvia* (= «**Eisen-bahn**») (Itali pronuntiant *ferrovía*). Sed «**vía ferrata**» usu receptum est».

His verbis magistri doctissimi praeceptum addere ausim, quo monemur, ut melius latinusque more Romanorum antiquorum scribatur: *ferrivia*.

Haec habui, quae de his rebus renuntiarem.

Incolumem Te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, OSB.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 28 m. Aprilis a. 1964.

*Josephus M. Mir, CMF. diligentissimo P. Caelesti, OSB., sal.*

Duae abs te in manibus sunt epistolae quibus breviter responsum do.

*De aëroplano:* ex praestantium scriptorum locis qui contrariam tuae tenent sententiam (cfr. PAL. LAT., 34 (1964) 307) — vel ex novis a te propositis argumentis—, res nondum claritate sua fulget et etymon in incerto manet.

Cum vero ea, quae de *via «ferrea»* et *traha* scripsisti, legi, visus es mihi nimium in his verbis adhibendis scrupulis vexari. Primum quid in linguis hodiernis factum sit, inspicias velim, et «*ferrocarril, chemin de fer, ferrivia, Eisenbahn*» invenies: quo Hispanos, Gallos, Italos vosque Germanos distinctionem illam inter «*ferream*» et «*ferratam*» nihili fecisse vel potius abiecisse intelleges; neque tanta in verbis postulari videtur subtilitas. — His tamen *ferrivia*, ut dicis, anteponenda est.

Ceterum, ut probe notant qui de verbis fingendis cudendisque agunt, vocabulis neque plene neque definite saepe res ipsae significantur, atque id interdum effertur verbis quod magis oculos animosque pulsat, quin de primigenio sensu nimia habeatur cura. Qui tamen verba faciunt id curent oportet ut nomen rei quam maxime aptetur. Quod si verbum in aliquo deficiat, audientium tamen animis gratum sit, facile a vulgo excipietur. Sic Itali sua lingua *velivolo* dixerunt aëroplanum, et nunc quoque latine loquentes *velivolium* adhibent libenter; nomen tamen — *quod velis volat*— non admodum satis rem exprimit, suntque aliae voces aptiores.

Ac simili ratione cum *vaporitrahā* dico, machinam facillime intellegent audientes 'quae vapore trahit [currus]'; nam prior vocis sensus ex etymo est: *traha* 'quae trahitur': ergo 'machina vapore tracta'; a quo sensu haud multum differt 'machina vapore tracta, ipsaque [ex vapore] post se currus trahens'; (similis illi machinae — de qua Forcellinus — 'qua navis in siccum trahitur'): eō enim currus [post se] trahuntur. — His tamen nihil de «*vaporaria*» tua detraho, quam probo.

*Nivitraha* autem, quam proposui, machina erit 'quae trahit vel ducit per nivem'. In his igitur novis verbis remanet primigenius «trahendi» sensus, licet, si voces penitus perquiras, nomen plene rei non respondeat; ut saepe fit, nam lingua et verba non ex nimia philosophia inspicienda et demittenda sunt, sed in primis ex rerum specie seu aspectu et ex populi placito, ex quibus usus oritur.

Quae *semaphora* dixi cum P. Avenario, vel *semaphoros* cum C. Baccio, «malī signales» fortasse appellari possunt, ut proponis et prius ipse Avenarius quadam animi dubitatione fecerat (cfr. PAL. LAT., 24 (1954) 175): «*Lumina [discos] praebui pro «Lichter» et significantur, vel parum significantur semaphora illa, haud scio an etiam «malī signales», vel significativi mali... esse possint».* — A «semaphoro» tamen, si me consulis, non recedam, cum ibi *mali* ratio non appareat, neque «*signalis* purior vox latina habeatur.

Ex his vero quae in n. 185, p. 258-59 disputavi et ex allatis a te nuper argumentis, ad «rotale» redeamus oportet — cum neque «orbile» neque «curtile» probentur—, aut si neque hoc nomen placet, inducamus demum in usum *regulam* — quam interdum P. Avenarius usurpaverat (cfr. PAL. LAT., 24 (1954) 258)—; regula tamen minus significanter rem exprimi putaverat.

Pergrata tandem mihi fuerunt verba doctoris Caroli Pulchrimontani, quibus intellexi me quoque rem acu tetigisse cum scribendum monui ex etymo «aëriportum, aërivehiculum, aërinavem, aëriplanum» (cfr. PAL. LAT., 34 (1964) 307 et alibi).

Paschalia Spiritus Sancti festa tibi tuisque fratribus grata, felicia, donis cumulata supernis decurrant.

Valeas, mi Pater reverende.

Scr. Barbastro, idibus majis, anno MDCCCCLXIII.

*P. Caelestis Eichenseer, OSB. Josepho Martae Mir, Patri Reverentissimo atque Humanissimo, S. P. D.*

Multum miratus sum, quod quandam scrupulositatem meam, ut ais, arguis, cum agatur res Latinitatis verae, non subtilitas animi scrupulosi. Meū quidem sentiētiā non scrupulositas, si quae est, pendenda videtur, sed res ipsa.

Tamen, mi Domine humanissime et dilectissime, multimodis Tibi pro epistula Tua prolixiore Idibus Majis benignissime data gratiam persolvo plurimam.

Sed nolim in malam partem accipias, quae duxi respondenda.

Plane non intellexeram, quid essent *semaphora*. Nam putavi mōlos signales una cum luminibus mutabilibus affixis esse. Ceterum «*signalis*» est vocabulum vere Latinum. Legitur enim: GROM. p. 361, 32 Collectaculum de carbonibus in calce miscitatos et glerias fluminales ne despicias: *signales* constituimus. — Denique non habeo, cur «*semaphorum*» improbem.

Sed mihi parum probatur «rotale», ubi regulae ferriviariae denominantur. Ceterum his diebus illum librum accepti, qui inscribitur «3<sup>me</sup> Congrès international pour la LATIN VIVANT,» Avignon (Aubanel) 1964. Ibi Prof. Michaël Rambaud, vir Lugdunensis, (pag. 45) dicit haec: «...Etenim apud Vitruvium videmus apudque Caesarem, membrum aedificii vel machinae

longius quam largius regulam dici. Appellentur igitur *rails* satis Latine *regulae*. Idem ibi (pag. 44) dicit: «Sit potius *locomotive* in sermone Latino tractoria (scilicet machina)». 'Vaporitrahā' autem mihi displicet, cum traha rotis, quibus ipsa vehatur, careat (cf. FORCELLINI, tom. IV, pag. 765). Nam traha non rotis provoluta promovetur, sed capis subnixā labitur. Quae differentia omnino observanda est, ne confusio fiat insalutaris.

Ferriviam autem non esse dicendam viam ferream, sed viam ferratam, non solus iudicavi, sed plerique auctores Germani lexicorum sive vetustiorum sive recentiorum, quorum cuncta, quae potui, opera consului, ne praepropere de hac re iudicium facerem. Ceterum Johannes Carolus Pulchrimontanus similem sententiam protulit.

Denique de aëroplano dicendum est et primam et alteram partem originis esse Graecae. Sed Graecae dicitur: πλῶνάω, dicitur etiam πλῶνος[ᾶ]. Inde Latine dicendum est aëroplānum, -ī n. — Velivolūm autem imprimis illud est aëroplānum, quod, cum machinamento motorio careat, tantummodo alis sublātum volat. Aliud autem est aëroplānum biplānum, quod duplicibus alis, superioribus scilicet et inferioribus certo intervallo inter se distantibus, discernitur ab aëroplano sive uniplāno sive triplāno, quod ducitur ab abjectivo, quo est 'plānus, -a, -um'. Videtur enim melius dicendum esse «uniplānum» quam «monoplānum», cum vocabula hybridica vitanda videantur esse. Haec habui, quae de his rebus diligentius distinguendis necessario renuntiarem.

Postremo facere non possum, quin maxime doleam, quod commentarios PALAESTRAE LATINAE moderari non pargis. Quibus verbis hunc dolorem congruenter significem, nescio. Tamen gaudeo, quod in cathedram Romanam evectus doctrinam Tuam non paucis viris variarum nationum cum salute Latinitatis sagaciter poteris tradere aetate nostra firmiter defendendam, hilariter proponendam, salutariter servandam et augendam.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 8 mensis Junii anno 1964.

P. CAELESTIS EICHENSEER, OSB.

—*De aëroplāno iterum.* — Praeter scriptores quos commemoravi (cfr. PAL. LAT., 34 (1964) 30: *Diccionario de la Lengua Española*<sup>18</sup>, M. Alonso, S. Gili Gaya, J. Corominas — qui vocem penitus investigat —) defendunt quoque *aëroplānum* a vocibus ἀήρ et *plānum* duci: *Der grosse DUDEN, Fremdwörterbuch*, 1960, p. 24: «Aeroplan [gr., lat.] m.»: ergo ex *gr.* (ἀήρ) et *lat.* (plānum); et A. DAUZAT: («*Dictionnaire étymologique de la L. française*, Larousse, Paris 1938): «aéroplan (vers 1850, d'après Ader, vulgarisé vers 1903), comp. avec le grec aēr et le rad. du fr. *planer*»; et sub. v. *planer*: «2. planer, se soutenir en l'air (1532)», dér. sav. du lat. *planus*. V. PLAIN et PLAN. I. — Dér: *planeur*, type d'aéroplane. (XX<sup>e</sup> s.)». Acuunt etiam *aëroplānum* Mariano et Badellino. Quorum sententiae tandem plane suffragamur, eaque, ut crede dimus, tenenda est. — *Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F.*

# P E R O R B E M

«Fundamus atque condimus Institutum altioris Latinitatis». — Quamquam PALAESTRAE LATINAE lectores certiores factos putamus, haec breviter accipiant oportet: Epistolā «*Veterum Sapientia*», a Joanne XXIII Pontifice Maximo, cujus vita et fama per hominum ora adhuc fertur, duos abhinc annos evulgatā, Paulus VI S. P. feliciter regnans encyclicam «*Studia Latinitatis*», in lucem edidit qua celerius illa et efficacius ad effectum perduceretur, et Institutum Latinitatis condidit.

Hoc Institutum Magnificus Pontificii Athenaei Salesiani Rector moderabitur cui praeses et senatus academicus aderunt. Statuta quibus hoc regetur Institutum tamquam ad finem spectant, ad munus seu artem docendi, ad rationem scientificam, ad doctrinam ingenique facultatem qua magistri instituendi sunt, juxta illa divi Ambrosii praeclara verba «*primus discendi ardor nobilitas est magistri*». Cursus academicus in quattuor annos distribuetur: primo biennio expleto alumnis Baccalaureatus conferetur; post tertium annum perfectum Licentia et post quartum Laurea alumni honestabuntur.

Cum vero nemo linguae latinae peritus esse possit nisi sermonem graecum calleat «*suus tribuatur locus oportet linguae graecae*». Cursus breviores praeterea praevidentur; quibus absolutis diplomate donabuntur alumni.

Faxit Deus ut nobilis haec supellex «*qua adolescentem clerum ornari oportet*» quamque nostra aetate sub pedibus jacere fere dicas, magno in honore ab omnibus Seminariorum alumni habeatur. Spes, ultima dea...

**Certamina Latina celebrata.** — Clmus. professor Belga Ferdinandus De Visscher, latinarum litterarum cultor, rerumque romanarum indefessus investigator, praemio quod inscribitur «*Cultori di Roma*», hoc anno insignitus est. Quod praemium annis alternis die Romae natali viro extero datur qui studio rerum historicarum, juridicarum, archaeologicarum quae ad Romam spectant, ceteris praestiterit. Sollemni ritui Consilii praeses Aldus Moro et nobilissimi viri interfuerunt. Clarus professor Belga aureo nummo honestatus est et pergamena his verbis a Raphaële Santarelli inscriptis:

QUOD VIR CLARISSIMUS  
FERDINANDUS DE VISSCHER  
IN ATHENAEIS GANDAVI ET LOVANII  
ANNOS PLURIMOS DOCTOR EXIMIUS  
INTER SODALES REGIAE ACADEMIAE BELGICAE  
ET LYCEORUM ITALICAE MERITO ADLECTUS  
DE ROMANO JURE EJUSQUE INSTITUTIONIBUS  
PERDOCTA EDIDERIT SCRIPTA



ATQUE VETERIS COLONIAE ALBAE FUCENTIS RELIQUIAS  
 SEDULO PERSCRUTATUS IN LUCEM REDUXERIT  
 S. P. Q. R.  
 VOTIS LIBENTER ACCEDENS  
 MODERATORUM INSTITUTI STUDIIS ROMANIS PROVEHENDIS  
 AUREUM NUMISMA  
 DELECTO CUIDAM EX ALMAE URBIS CULTORIBUS  
 PRAEMIO QUOTANNIS CONSTITUTUM  
 MAGISTRO PERINSIGNI CENSUIT ADSIGNANDUM  
 XI KAL. MAJAS ANNO DOMINI MDCCCCLXIII  
 DIE URBIS NATALI MMDCCXVII.

—Ex X<sup>o</sup> certamine domestico seu patrio de oratione latina soluta, Romae celebrato, quo doctissimi magistri et litterarum latinarum alumni studiosissimi ex universa Italia permulti convenerant, hoc praecipue patefactum est quod lingua latina, quae aliquibus regionibus mortua, sepulcro in omne tempus condita videbatur, bona adhuc valetudine vivebat... Gratissimum enim fuit hujus certaminis iudicibus, argumenta proponentibus, quod libellos innumeros ex universae Italiae regionibus ad praemium assequendum acceperunt. Argumenta de quibus adulescentes competitores certabant haec duo fuerunt: 1) *De Virgilio Homeri aemulo*; 2) *Quid Romanorum instituta, leges, lingua, in consociandis populis non solum antiquioris sed etiam recentioris aevi. valuerint, breviter dissertite*. Cimus. praeses Alexander Ronconi certaminis exitum renuntiavit. Primum praemium meritis est Victor Mascherpa, secundum Eddus Rigotti, tertium Enricus Camporesi. Laudandi maxime quoque sunt alii competitores.

**O scrinium mirabile!** — Nemo est qui ignoret televisionem nostris diebus et amplificandi et foras cultum vulgandi utilissimum esse instrumentum. Insuper ludis, fabulis, musica, nuntiis, taeniis cinematographicis maximum nobis oblectamentum praebet. Lingua latina multa quoque televisioni, longinqua proxima reddenti, debet, cum saepe artem, historiam, regiones, gentes quae ad aetatem classicam spectant, nobis accesserit vivasque reddiderit. Est ergo quod carmen illustris poetae commemoremus.

O scrinium mirabile,  
 visu tenaci corripis  
 longinqua reddis proxima  
 litus marisque terminum...

O scrinium telopseos,  
 pacis loquens praeconium,  
 longinqua redde proxima  
 gestus et ora gentium...

**Graecae fabulae in scaenam prodeunt.** — Coetus nomine *«Theatrum Piraeum»* qui ad gloriam maximam, europaeas nationes pervagantes, pervenerunt, qui ut litterae, fama cultusque antiquitatis Graecae reviviscat in animo inducunt, nuper Matriti, mense Augusto jam vergente, fabulas quae

inscribuntur *Medea* Euripidis et *Electra* Sophoclis in scaenam prompserunt. Quae fabulae egregiae multitudinis, apud quam res classicae valebant, ita animos commovit ut plausibus et laudibus fabularum interpretes cumulaverint. Licet fabulae lingua graeca hodierna sint actae, facillime eae animo comprehensae sunt, nam pulchelli fasciculi — quibus res et scaenae optime illustrabantur — spectatoribus sunt commodati.

Maximae ex animo gratulationes cl. viro Demetrio Rondiris praeberi debent, quo moderante, fabulis graecis felicissimus contigit exitus.

**Lepidam de Imperii Romani casu audite sententiam.** — Peritissimus antiquarum rerum vir americanus, cui nomen Gilfillan quique in Universitate Chicagensi praeclarissimus fuit professor, postquam ossa cadaverum Romanorum nobilium ad Tunetem abhinc centum octoginta annos a. Ch. n. terra conditorum perspexit, hoc curiosum novumque tulit iudicium: Imperii Romani casum veneno tribui debere. Cum enim optimates Romani testis et catinis terra coctis, quae copiam «oxydi plumbei» — toxicum acerbissimum — continerent, ad vinum, oleum pomorumque sucos servandos, adhiberent, hos cibos veneno contactos sumentes plurimi peribant. Quam ob rem, extinctis viris principibus seu Imperii Romani moderatoribus, hoc firmitatem amisit, senuit, prolapsus est...

**Georgius Seferis illustris poeta graecus**, Smyrnae in Asia Minore natus, qui anno 1963 praemio «Nobel» Atticarum litterarum ornatus est, in Hispaniam nuper se contulit ut Domum-museum pictori nobilissimo DomínicolTheotocopuli seu vulgo «Graeco» Toleti exactum inviseret. Alumnus animo Homeri et Pindari, asseveravit se ex his poetis vim hausisse, ubertatem, impetum, praemioque Homerum donandum fuisse, si nostris temporibus vitam egisset.

**Poeta hispanus González Hervás.** — Rem mirandam in Museo Neapolitano invenit. Agitur de signo cui est nomen «Venus Gallipyge» et «Hispaniae anima» agnomen, quodque abhinc tria milia annorum, ita sapientes sentiunt, effectum est.

Cum sculptura manibus lignula capillisque florem gestet — ut mos est apud Baeticas saltatrices — merito poeta González feminam esse saltatricem putavit quae «telethusa» dicebatur; quo nomine feminae Gaditanae insigneabantur.

**Diem supremum obiit** — Octogesimum secundum annum agens, dierum et laborum plenus, clivus. vir Julius Marouzeau doctissimus latinarum litterarum magister vitam finiit. Cujus e vita discessu litterae Latinae maximo luctu affectae sunt.

Conditor anno 1924 Commentariorum quibus est nomen *Revue des études latines*, operam dedit indesinenter ut litterae Latinae ab omnibus et aestimarentur et colerentur. Ideo commentationibus, lucubrationibus vividisque scriptis eas fovit, provexit enixeque adversus eos qui cultum latinum repugnarunt tutatus est; studiis latinis tandem dignitatem et excellentiam quam post saeculum XVI amiserant totis viribus reddere contendit. Est quod, Julii Marouzeau spiritu effuso, in summo Latinae litterae jaceant dolore.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Preterea ad ADMINISTRATOREM: S. Antonio M<sup>a</sup> Claret, 37-39, ZARAGOZA

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'50 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. X — (FASC. IV) — N. 40

M. DECEMBRI

A. MCMLXIV

# F A X O L Y M P I C A

Sollemnis ritus quo ludi Olympici Jeddi (*Japón*) instituti sunt, Olympiae in Graecia est initiatus. Quadraginta mille spectatoribus astantibus Graecorumque rege Constantino caerimoniam moderante, fax — quae olim coram Jove, dum Olympica certamina habebantur, in media Palaestra lumen effundebat — nunc a graeco athleta Phoebi radiis in urbe Olympia incensa est. Id temporis tanquam de caelo sonans vox audita est dulcissima:

«Sacra haec fax omnibus orbis athleticis lumen praebeat ad viam pacis, venustatis et felicitatis sequendam».

Athletae graeci genua flexerunt histrioque graeci theatri hymnum Olympi declamavit, dum virginum chorus circum facem in numerum saltabant. Postea antistita Jovi has effudit preces:

«Oro te, Juppiter, ut Phoebi radiis sacra fax accendatur ut in stadio Jeddi fulgens nobilem omnium gentium aemulationem illuminet».

Quae fax per athleticas in Stadium Olympicum Jeddi gestata, die decimo secundo mensis Octobris ab omnibus orbis athleticis salutata est.

CHRONOGRAPHUS

# LIGNARIUS ET FISTULA INCANTATA

(Melchioris, Gasparis et Balthasaris fabella)

Nescio, pueri optatissimi, utrum somniaverim an alicubi legerim fabellam. Vos qui narratiunculis maxime delectamini, eam audite:

*Tres illustres viri...* Sanctissima Epiphaniarum nox — qua Magi albis equis vecti, per vicorum vias transeunt— advenerat. Candidae stellulae lucem in vallium nivem, et montium et abietum effundebant micantem. In montis radicibus miserum Petri lignarii et Sophiae uxoris tugurium, undique ventis agitatum, exurgebat. Viatores qui parvulae casae fenestram inspicerent, Petrum viderent et Sophiam in sellis ligneis sedentes, qui ollam — ubi surdo rumore cicera decoquebantur— silentes spectabant. Subito vero vehemens ostii percussio altum casae rupit silentium. Quis intempesta nocte portam pulsaret?

Duo tugurii incolae, mutuo se inspererunt... Tandem lignarius e subsellio surrexit et ad portam aperiendam lento gradu incedens se contulit.

Ah! Unus..., duo..., tres magni viri sericis vestibus induti, angustum tugurium ingressi sunt.

— «Valete, boni rustici, comis trium barbatissimus exclamavit; a propinqua venimus urbe, frigore obrigescimus; buc-

cellam panis et parum ignis nobis praebete...»

— «Nobilissimi viri, respondit lignarius, honori ducimus summo, hospitio in parva ac misera hac nostra casa vos accipere, sed contigit ut tantum ferculo cicerum et vini pessimi haustu et castaneis vos donare possimus».

— «Me Melchiorem amicosque Gasparem et Balthasarem, maxime cicera juvant, et vinum et castaneae...»

Dum Reges tres accubabant, frugilem cenulam viris illis illustribus humilis Sophia ministravit. Cenati e mensa surrexerunt et,

— «Plurimas vobis — boni rustici — agimus gratias et amplo vos praemio remunerari cupimus. Fistulam hanc vobis libentibus animis donamus. Eam sumite».

— «Qui fiet vero ut tibias inflare discamus, cum a primo mane usque ad concubiam noctem in monte laboremus et simul atque in nostram casam pervenimus, cenulam paratam avidè sumamus et cubitum quam primum recedamus?»

— «Fistulam nostram accipite. Ubi ea luseritis, omnia quae opus sint vobis, impetrabitis».

Quibus dictis, Reges tres abierunt.

*Fistula prodigiosa.* Jam dudum reges e conspectu se abstulerant, cum Sophia uxor Petrum obtupescentem, qui manu fistulam tenebat, sic allocuta est:

—«Nonne memor es...? Cum tibia cecinerimus, quidquid voluerimus adipiscemur. Rem ergo experiamur, videlicet: pullus tostus ut supra mensam apponatur nobis nonne te iuvat? Age, ne pervicax fueris! Avena ludel!»

Petrus uxori paruit. Et —res mira!—, ubi sonus e fistula exiit, iam supra mensam pullus pinguis assatus fumum emittebat gratissimum. Petro commoto fistula e manibus decidit... Sed cum panis et vinum quoque eis deesset, Petrus mirantem fistulam accepit eademque iterum canente, panis recens calidusque atque urceus vini optimi plenus ante oculos lignariorum apparuerunt. Paucis post diebus fistulae prodigiosae ope, casa regia aedes facta est, qua servi, cubiculariae apparate indutae, raedarii, coqui, topiarii, musici et scurrae pervagabantur.

*Petrus et Sophia iterum miseri.* Rediit nox Epiphaniarum sanctissima. Regia Petri et Sophiae aedes purpura, auro, floribus, luminibus refulgebant... Sophia ut anniversarium noctis Epiphaniarum celebraret, saltationes instituerat

ad quas rex Petrus et Sophia —sumptuosissimo ornati vestitu—, regius comitatus, permulti ex omni loco nobilissimi viri et feminae ad festum agendum adierunt. Festum clamoribus, musica florebat cum servus rapido gradu per regiae aulas transiens Petrum adiit, cui:

—«Rex noster, inquit, mendici tres se in tua regia recipi contendunt...»

Statimque ut haec verba protulerat Petrus, aulam regiam viri tres pannosi ingressi sunt: quorum alius barbatus, alius longaevus, tertius vero ater erat. Aciemque oculorum in Petrum intendens longaevus, ita eum coram invitatis omnibus objurgavit:

—«Petre, lignarius stultissimus atque sceleratissimus... consilia nostra sapientissima oblivioni dedisti; fistula nostra abusus es... Praebe eam nobis quia dignus non es qua diutius potiaris.»

Petrus capite demisso, obsecutus est. Et ubi primum mendicus fistulam a Petro acceperat, non tantum invitati, verum etiam aulici, lumina, mensae, regia, mendici tres ex oculis abierunt...

Petrus et Sophia iterum soli, misere induti et in tugurio ollam, ubi cicera fervebant, spectantes sese invenerunt...

...In montibus excelsis et in viridibus abietibus nix considebat candida. Nox erat Epiphaniarum sanctissima...

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

# QUINTUS FABIUS



1. Postquam Hannibal Saguntum evertit, Roma missi sunt Carthaginem legati, ut populi Romani quaerimonias exponerent et Hannibalem sibi dedi postularent. Haesitantibus Poenis, Q. Fabius, legionis princeps: «Hic ego, inquit, porto bellum pacemque, utrum placet sumite». Poenis «bellum» succlamantibus, Fabius bellum dare se dixit.

2. Hannibal, superatis Pyrenaeorum et Alpium jugis, apud Ticinum amnem, apud Trebiam, apud Trasumennum Romanos profligavit. Adversus toties victorem missus, Q. Fabius dictator Hannibalis impetum cunctando fregit. Namque pristinis cladibus edoctus, belli rationem mutavit.

3. Per loca alta exercitum ducebat, neque usquam fortunae se committebat; in castris plerumque tenebantur milites. Dux neque occasionem rei bene gerendae amittebat, si qua ab hoste dabatur, neque ullam ipse hosti dabat. Ita ex levibus proeliis superior discessit, ac milites ejus virtuti aut fortunae credere coeperunt.

4. His artibus Fabius Hannibalem in agro Falerno incluserat; sed callidus ille dux sine ullo exercitus detrimento se expedivit. Nam arida sarmenta boum cornibus alligavit, eaque principio noctis incendit; metus flammaram boves sicut furore stimulos agebat huc illuc discurrentes.

# MAXIMUS CUNCTATOR

5. Romani miraculo attoniti constiterunt; ipse Fabius, insidias esse ratus, milites extra vallum egredi vetuit. Interea Hannibal ex angustiis evasit. Dein ut Fabium Romanis invidiosum redderet, agrum ejus, omnibus agris circa vastatis, intactum reliquit. At Fabius omnem suspicionem a se propulsavit, nam eundem agrum vendidit ejusque pretio captivos romanos redemit.

6. Haud grata tamen erat Romanis Fabii cunctatio; eumque pro cauto timidum, pro considerato segnem vocare solebant. Augebat invidiam ejus Minucius, magister equitum; dicebat enim illum in ducendo bello tempus terere solumque et Romae et in exercitu imperium habere. His sermonibus excita, plebs dictatori magistrum equitum imperio acquavit.

7. Quam injuriam aequo animo tulit Fabius, exercitumque suum cum Minucio divisit. Cum postea Minucius temere proelium commisset, ei periclitanti auxilio venit Fabius. Cujus subito adventu compressus, Hannibal receptui cecinit, palam confessus a se Minucium, a Fabio se victum esse.

8. Eum quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt: «Nubes ista, quae sedere in jugis montium solebat, tandem cum procella imbrem dedit». Minucius, periculo liberatus, Fabium, cui salutem debebat, patrem appellavit eique deinceps parere non abnuit.



## Religio cujusdam adolescentis romani

Cum Galli, Roma capta, obsiderent arces et praecaverent ne quis hostium evaderet, adolescens quidam romanus admirationem excitavit civibus inimicis.

Gens Fabia sacrificium anniversarium constituerat in Quirinali colle. Ad id faciendum, Q. Fabius sacra manibus ferens, per hostium custodias transiit minime vociferationibus ac minis territus. Postea sacris sollemniter peractis, eadem via qua ierat, rediit similiter eodem vultu ingressuque constanti, sperans deos futuros propitios, quorum cultu ne vitae quidem periculo prohibitus deseruisset.

Itaque revertit integer ad suos in Capitolium. Galli talem audaciam mirati religionisque exemplo moti, magno in honore adolescentem habuerunt.

MARIANUS VIERA, C. M. P.

*V cursus alumnus*

Rosarii (in Argentina)

## LUPUS ET CANIS

Lupus fame confectus obviam cani admodum pingui venit. Tunc lupus cani:

— «Tu, inquit, pinguedine dirumperis, ego vero fame pereo». Cui canis respondit:

— «Ego domini mei opulentissimi sum custos et ille ossa cibi que reliquias mihi praebet munificentissimus. Ita sane venter meus sine labore impletur. Dominus quoque meus ossa et cibi reliquias tibi — si ei, ut ego inservires — large donaret. Mane mecum. Vitam sub hujus casae tecto agemus beatam. Hic neque imbres neque silvarum nives patieris».

Lupus canis verba non parvi fecit; sed ecce ad canis collum alligatum torquem animadvertit eumque curiosus interrogavit:

— «Quid hoc sibi vult?»

— «Nugae sunt. Acer sum et ideo heri mei servi me saepe alligant...»

— «Ergo non es liber?»

— «Non omnino»

— «Tunc, canis amice, non tibi servio. Meam libertatem catenis tuis praefero».

— «Ego vero, respondit canis, domini mei reliquias fami, quae illa tua vorat antepono».

JACOBUS FUNES

*V cursus alumnus*

Barbastr



## CAUSA RETRORSUM INCEDENDI

*Julius:* Propter nimiam potationem  
incedis uno gradu prorsum ac  
duobus gradibus retrorsum...

*Augustinus:* Falleris, amice, de causa  
retrorsum incedendi: sic incedo  
quia cancos manducavi.

DEOMAR PERESON  
III cursus alumnus

Rosarii (in Argentina).

## AD SALTUM EQUI

	SI	TOS	COS	DUM	
LUS	MI	RIS	RA	NU	TEM
FU	MUL	SO	RA	BI	E
A	E	FE	RINT	PO	ME
LIX	E	BIS	LA	RIS	NU

Excogitavit

PAULUS CATÁ

Ovidium poëtam si hic videris  
lugentem, ejus absterge lacrimas,  
amabo...

## BONUM HOROLOGIUM

In urbe quadam, custodes jussi  
sunt popinas omnes media nocte  
claudere. Cum autem popina aperta  
maneret, hac hora transacta, custos  
apparuit minans:

— «Eja, domini mei! Hora duodecima  
est».

Tunc ebrius quidam sodalibus:  
— «..Horologium emere cogitabam,  
sed malo emere custodem: dicit  
melius horam».

Custos qui nihil audierat rursus  
dixit:

— «Eja, domini! Iterum dico horam  
esse duodecimam. Omnes foras...».

— «Perquam optime! Ipse bis horam  
dicit», exclamavit ebrius.

CAJETANUS GREGORIO  
IV cursus alumnus

Barbastri.

## INTER AMICOS

—Quod discrimen est inter equum  
duorum annorum et puerum de-  
cem annorum?

—Nescio...

—Res est simplex: anni octo.

RAYMUNDUS OLOMÍ

## SAPIENTIS OLITORIS RESPONSUM

Homo quidam cum olitorem vidisset, qui olera rigabat, ab eo quaesivit:  
—Cur gramina quae natura sua in silvis germinant, luxuriant, suaviter olent,  
florent, quaeque vero homo serit et magno sudore atque labore irrigat  
saepe arescunt?

Cui sic olitor respondit:

— «Herbarum, quae ruri nascuntur, solus curam habet Deus et pluvia con-  
spergit et eas sole fecundat; cetera autem homo sua curat manu et sollici-  
tudine...».

PETRUS RAMOS

# T O T A S I L E S C I T

Auctoris ignoti cantilena

Tota siles cit Curia caeli carmi  
 na rapta - sua ve so nan ti Ma tris ab o re  
 dum de us in fans dul - - ce qui es - cit.

Dormit hic orbi qui vigil astat, hunc pia Mater spectat adorans;  
 Et sua visu lumina pascens pectore cantat.

Visio mira Mater et infans! Oh hic et illa liliū amoenum  
 Et rosa vernans! Laus amor ipsis omne per aevum.

## EXITUS CERTAMINIS CUI NOMEN

*Quid de Cicerone scias ostende*  
 (Cfr. PALAESTRAM ADULESCENTIUM  
 m. Septembri, n. 187, pag. 399)

Digni sunt laude alumni Barbas-  
 tenses VI Latinitatis cursus:  
 CAROLUS LÓPEZ  
 et DEOGRATIAS MOSAKA

## TRIANGULUM MAGICUM

	1	2	3	4	5
1					
2					
3					
4					
5					

1. Laudibus orno
2. Abscondo
3. Aqua
4. Dono
5. Vocalis

JESUS RIPOLLÉS

## VIRI A RE ALIENI CASUS

Carolus tam erat abstractus ut in  
 aquam prolapsus, mortuus sit suffo-  
 catus, quia oblitus est se scire natare.

R. STECHINA, C. M. P.

Il cursus alumnus

Rosarii (in Argentina).

## INTER SOCIOS SEDEAS, QUAESO

Alumni quidam virum qui oculo-  
 rum usu fere carebat ludi magistrum  
 habebant. Ut eum irriderent, ad au-  
 lam asinum duxerunt. Magister cum  
 in media aula aliquem stantem vide-  
 ret:

— «Quid, inquit, in media aula stans  
 facis? Inter socios sedeas, quaeso».

MICHAEL RABERT

# BIBLIOGRAPHIA

A. VANDER KERKEN - L. REMY. — *Roma declinans*. Anthologie d'auteurs latins postclassiques. Editions Plantyn S. A. - Anvers. Pag. 238.

Ex programmatae linguae Latinae apud Belgas, scriptores posteriores ut Quintilianus, Seneca, Tacitus, Suetonius, Martialis, Juvenalis alumnis Scholae Mediae legendi et convertendi sunt. Itaque hujus florilegii auctores propositum, facili utrique ratione alumnis, perfectum voluerunt.

Loci tamen ita selecti sunt, ut quasi ante discipulorum oculos antiquorum Romanorum vita, mores, institutionesque proponantur.

Rem sane prorsus attingere clari viri Vander et Remy in hac perpolienda anthologia «Romae declinantis», quam Latinitatis cultores magni aestimabunt. Selectiores locos Quintiliani, Senecae, Plinii Junioris, Suetonii, Martialis, Juvenalis, Tertulliani, Divi Augustini in hoc opere gustabunt. Notae biographicae et litterariae scriptorum eorum textibus praecedunt. Neque parvi facienda, quae de christianis litteris sub fine operis praelibantur, ubi adumbratio pristinae historiae litterariae christianae ad Sanctum Augustinum contegitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

FIRKEL, EVA. — *La mujer, vocación y destino*. Edit. Herder, Barcelona, 1958. p. 348.

Eva Firkel hoc opere de vario mulieris ingenio peritissime judicat atque agit, recentissimis innixa investigationibus physiologicis, psychologicis, characterologicis, quae ad indolem muliebrem spectant.

De mulieris natura. De mulieris evolutione. De mulieris perfectione seu plenitudine. En tibi tres partes operis Evae Firkel, quibus mira ratione et modo «mundus muliebris» quasi revelatur. De animi enim libertate mulieri servanda, de communi cum viro opera, de ingenii muliebris ad humanum cultum facultate, de impedimentis quae cum intra tum extra mulierem huic perfectioni obiciunt, disputatur.

Librum a femina feminisque dicatum, nulla femina ignorare debet, nam in eo legendo facile inveniet quibus rationibus, juxta naturae suae indolem et conditionem, attingere possit finem metamque a Deo sibi constitutam.

M. MOLINA, C. M. F.

FARGUES, MARÍA. — *Tests colectivos de Catecismo*. Edit. Herder, Barcelona, 1961. 115 pag

Diligentissimo cuique doctrinae christianae institutori opus est perpendere quo modo seu gradu alumni elementorum, quae ipse eis explicaverit, sint potiti. Quod ut assequatur sedulus institutor subtiliter acuteque interrogare pueros debet, aliis tamen verbis, quae catechismi formulis continentur.

Quem ad finem institutoribus maxime erit utilitati hic tentaminum catecheticorum liber; in eo enim inveniuntur quamplurimae eaeque accuratissimae exercitationes quibus commode investigari possit progressus alumnorum.

Abundans exercitationum seu tentaminum copia institutoribus religiosis in erudiendis pueris et investigandis eorum cognitionibus catechismi haud parvo erit adjumento.

M. MOLINA, C. M. F.

*Manual del Catecismo Católico.* Tomo V (temas 91-113), 376 pag., 1961; tomo VI (temas 114-136), 364 pag. La vida según los mandamientos de la Ley de Dios. Las postrimerías. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

His duobus pulchris voluminibus, quae lectoribus Palaestrae legenda praebeamus, Bibliotheca Catechetica Herder amplificatur atque lucupletatur. Utroque in volumine idem gradus seu tenor servatur quam in superioribus voluminibus quae jam diu in lucem edita sunt.

Uniuscujusque lectionis quaestio seu thema hac via et ratione evolvitur: Primum doctrinae christianae institutor quasi praemonetur quae sint praecipua quaestionis elementa, quo modo ad ea puerorum indoles sese habeat, quasnam considerationes seu cogitationes eis subjici oporteat, in quot partes lectio quaeque sit dividenda, quod tandem propositum seu finis assequendus.

Professoribus religionis et doctrinae christianae institutoribus ex utroque volumine magna rerum argumentorumque copia suppetet ad pueros alloquendos

hortandosque in via et observantia praeceptorum divinae legis et in cognitione illarum veritatum, quae vulgo «novissima» appellantur.

*Catecismo Junior.* Versión castellana. 244 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1962.

En liber quasi summarium seu epitome «Catechismi Catholici», quem Domus Editrix Barcinonensis Herder in lucem quondam vulgare coepit. Opus tamen plane absolutum judicamus, quo recte uti possumus tamquam curriculo quodam primario in tradenda institutione religiosa.

Catechismus Junior totam salutis nostrae historiam complectitur. Necesse est enim omnibus christifidelibus merita redemptionis Jesu Christi sibi ipsos applicare, dum hodiernam vitam in terris degunt et in aeternam peregrinantur. Quem ad finem et viam ingrediendam suscipiendamque, tutus securusque Catechismus Junior.

Non videtur quidem magna copia eaque, ut plerumque solet, arida interrogationum et responsorum, sed in Catechismo Juniore novissima artis docendi adjumenta et auxilia adhibentur paedagogica, quibus praecipua memoriae facillime mandentur.

Cum Catechismus Junior eo consilio sit exaratus ut non tantum institutioni religiosae sed etiam moribus et vitae inserviat, iis in primis perutilem aestimamus, qui, tum puerili tum adulta aetate, primis elementis institutionis religiosae carent.

M. MOLINA, C. M. F.

DURRWELL, F. X. — *La Resurrección de Jesús, misterio de salvación*. 389 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1962.

Hoc F. X. Durrwell opus non est unus plus librorum quibus amplissimi Theologiae fines abundant, sed vero et mirifica in re inventio seu revelatio. Cuius theologus ostendere nititur momentum et pondus Resurrectionis Jesu Christi non tantum quasi adduceret merum argumentum apologeticum, sed tamquam partem praecipuam unius mysterii salutis: Mortis et Resurrectionis.

De Resurrectione igitur agit auctor fretus et Synopticorum et Joannis et in primis Pauli testimoniis. Totis viribus quoque significare contendit vitam novam quam inaugurat Christus; quam vero vitam Christifideles vivere debemus, scilicet, in gratia vivere seu novum vivendi genus, quod nobis Christus resuscitatus est largitus.

Novem capita volumine continentur: I: Resurrectio Christi, mysterium salutis. II: Incarnatio, mors et resurrectio. III: Resurrectio seu Spiritus Sancti effusio. IV: Resurrectionis consecutiones. V: Resurrectio Jesu, ortus Ecclesiae. VI: Ecclesiae vita in Christo resuscitato. VII: Progressus et consummatio mysterii paschalis in Ecclesia. VIII: Quo pacto mysterium Christi increverit. IX: Mysterium paschale ejusque in caelis consummatio.

Liber indicibus scriptorum memoratorum, locorum biblicorum et rerum finitur. Opus maximi momenti recentissimae theologiae, immo et necessarium, praesertim cum ejusdem ope et origo et incrementum Ecclesiae perlucide illustretur.

M. MOLINA, C. M. F.

BARDON, HENRY. — *Il gento latino*. Versione di Ettore Paratore. Edizioni dell'Ateneo, Roma, pag. 270.

Volumen hoc vere ampla et luculentissima synthesis est pristinae Romae, almae matris cultus nostri atque humanitatis. Ubi primum clarus vir Hector Paratore perlegit adversario omicissimi Professoris H. Bardon, librum editum italica veste voluit: «Questo libro è urgente, lo pubblico». Ex quo italica conversio prius in lucem venit, quam primigenium opus gallicum.

In introductione Professor Paratore de re libenter sermonem facit ac libri dotes in caelum evehit (pp. 5-17). Prooemium e contra Professoris Bardon quam brevissimum: a collega enim propositum et ratio viae erant explanato.

En tibi libri contextum: 1. *L'amore per la terra* (pp. 21-52). 2. *La patria e il patriottismo* (pp. 53-86). 3. *Tradizione e innovazioni* (pp. 87-123). 4. *La gioia di vivere* (pp. 125-174). 5. *Il senso dell'umano* (pp. 175-216). 6. *La melanconia latina* (pp. 217-258).

Breviores paginae epilogi gratia, rem argumentumque totum scite absolvunt; indices sequuntur. Undecim libro inseruntur tabulae pictae, quae rem totam illustrent.

A. MARQUÉS, C. M. F.

*Biblia en colores* Versión española. 96 pag. Edit. Herder. Barcelona, 1963.

Editores Domus Librariae Herder sollicitate curaverunt ut pueri in Librorum Sacrorum familiaritatem venirent talis Bibliae ope, quae eorum ingenio, naturae studiisque responderet.

Imagines et colores semper ab Ecclesia magni sunt aestimati in exponendis et explicandis — praesertim populo rudi — veritatibus. Unde medio aevo «Biblia pauperum» illa, vivissimis imaginibus coloribusque illustrata, picturae murales, fenestrarum specularia, columnae porticusque, cetera omnia quae ornatui templorum inserviebant, inde a principio mundi usque, ad extremum iudicium repraesentationes, ex historia sacra profecta erant. Itaque illius temporis christifideles — plerumque rudes homines — quae in sacris contionibus audiebant eadem in aedium apparatu sensibili modo expectabant.

Opere «Biblia en colores» aliquid simile erga pueros aetatis nostrae intenditur. Narrationes, picturae, colores, ceteraque maxima cura eliguntur. Quare matres et doctrinae christianae institutores utilissimum habebunt adjumentum in hac Biblia coloribus illustrata, ut praecipua Veteris Novique Testamenti eaque puerorum captui accommodata, vivide et reverenter tradant.

M. MOLINA, C. M. F.

MONDEN, L. — *El milagro. signo de salud*. 328 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1963.

Semper de miraculo acriter vehementerque disputatum est. De miraculo autem christiano credentes et increduli quinquaginta abhinc annos in dies opinionem mutaverunt. Nunc vero, ut ineunte saeculo XX mos vigeat, nihil scientificum putatur miraculum plane reicere: res seu eventus miraculosus non admitti non potest, quamvis scientia in

tractandis miraculis explicationem naturalem expostulare nitatur. Theologia catholica viam quoque et rationem pendendi miraculum novavit: miraculi pondus ac momentum in eo est ut tamquam signum habeatur et tamquam signum ab homine veritatem religiosam quaerenti suscipiatur. Haec vere virtus apologetica videtur.

Primum auctor de miraculo christiano in universum agit; deinde vim apologeticam supra constituit: Ecclesia namque catholica miraculum adit et adhibet tamquam signum quo doctrinae suae auctoritas et fides confirmetur. Ergo Ecclesia tantum definire debet quatenus miraculi sit natura, quo munere miraculum fruatur, quo pacto et quibus adjunctis sese habere debeat ut genuinum appareat signum, ubinam ejus apodictica vis insit. In altera parte apologetica miraculi constituitur. Res historica prius stabiliri debet simul atque ostenditur quo modo discernenda tamquam signum rite divinum.

Liber plurimorum intererit lectorum, cum, praeter miraculi ipsam naturam et cognitionem, luculenta clmi. theologi virtus in dicendo splendeat.

M. MOLINA, C. M. F.

INDART, M. J. — *Jesús en su mundo*. 275 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1963.

Si virum egregium, qui magnum in aequales momentum habuerit, plane penitusque cognoscere velimus, opus est nos in primis investigare omnia quibuscum conjunctissime ipse vixerit.

Hac ratione et via M. J. Indart procedit. Ut plenior Evangelii et Jesu Christi cognitio fiat, perlustrari oportet quae

cum eodem consuetudinem habuerunt. In opere «Jesús en su mundo» auctor studiis «Scholae Biblicae Hierosolymitanae» et ratione exegetica P. Bernard fretus «mundum», ut ita vulgo dicam, Jesu investigat.

Hic totius operis ordo et index: Prooemium (7-8). Ii qui Jesu populares fuerunt (9-34). Ejus amici (35-62). Peccatores (63-80). Mulieres (81-104). Maria Magdalena (105-126). Jesu cognati (127-148). Praecursor Domini (149-172). Ethnici seu gentiles (173-192). Romani (193-214). Aegroti (215-234). Pueri (235-248). Juvenes (249-260). Turbae (261-275).

Nemini dubium est quin liber qui «Jesús en su mundo» inscribitur, magnae futurus sit utilitati ad perfectius cognoscendum Jesum Christum.

TILMANN, K. — *La penitencia y la confesión*. 382 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1963.

Quamplurimi sacerdotes et doctrinae christianae institutores et christifideles grato animo sine dubio librum suscipient cui est index «La penitencia y la confesión» a Domo Libraria Herder vulgatum. Nam nonnullis catechismis operibusque Theologiae Moralibus inducimur ad vitam christianam in decalogo tantum et in primis constituendam, adeo ut decem dumtaxat praecepta ab homine Deus exostulare et ideo in eis adimplendis tota vita christiana consistere nobis videatur.

Quam vitae opinionem seu structuram nemo non videt deficientem esse immo et falsam. Nam vita christiana non e praecepto tantum quasi extrinsecus emanat sed e re vera et exemplo Dei revelati qui hominis voluntatem ita sibi

devincit. Potius quam: «Hoc fac, hoc ne feceris» esto: «Inspice Deum eique responde». Haec vera morum vitaeque christianae regula.

Considerandum nobis in primis Deum omnibus servitiis nostris nostram praeferre voluntatem nosque debere non tantum litteram praeceptorum adimplere quantum intimam Dei possessionem intendere. Quae cum ita sint, hujus operis auxilio commode juvabimur ad cogitandam paenitentiam et confessionem sacramentalem tamquam tutam viam qua in libertatem filiorum Dei liceat pervenire.

M. MOLINA, C. M. F.

HÄRING, B. — *El matrimonio en nuestro tiempo*. 596 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Nulla alia fortasse ae tate quam temporibus nostris tam necessarium fuit acute discernere quae permanere debeant et quae valeant mutari in matrimonio et familia. Tantummodo genuino harum rerum discrimine perpendere licebit quod primum est et potissimum in his institutionibus et quod ex hodiernis adjunctis adventicium oritur.

Clmus. theologus B. Häring non tantum theoretica familiae fundamenta jacere conatur verum etiam ex illis infert atque concludit quo pacto sese debeant habere qui in matrimonio familiarumque versentur et salutem animi ac perfectionem assequi velint. Prima operis pars videtur praevia in matrimonium introductio quaedam; in altera parte de natura et munere atque officiis familiae agitur; in tertia demum e theoreticis familiae principiis quasi regulae vitae et sanctificationis deducuntur.

Hoc opus clmi. scriptoris libri cui est index «La ley de Cristo» magno erit adjumento et sacerdotibus qui in animarum curam incumbunt et laicis qui in matrimonio et familia vitam degunt, ut rite observentur tum quae a traditione saeculari in hac re hereditate sunt relicta tum quae tempora nostra exposulare videntur.

M. MOLINA, C. M. F.

CECCHI, SERGIO. — *Cicerone: Brutus*. Società Editrice Dante Alighieri p. a. (Albrighi, Segati e C.), 1963. Milano. Pag. 200.

Praecipua opera rhetorica a M. T. Cicerone exarata sunt: De oratore libri III, Orator ad M. Brutum, Brutus vel De claris oratoribus. In hoc vero edendo explicandoque nuper curam adhibuit praeclarus latinarum litterarum magister S. Cecchi.

Jam vero, ex sententia Professorum B. Riposati et R. Cantarella, «*Traditio*, la Nuova Collezione di Classici greci e latini della benemerita Casa Editrice «Dante Alighieri», si propone di dare alla Scuola Italiana una serie di commenti che alla serietà scientifica congiungano una viva interpretazione delle grandi opere letterarie dell'antichità, mirando alle reali esigenze della nostra Scuola».

Quod mirifice in hoc volumine perfecit clarus vir S. Cecchi. Copiose in introductione disserit de eloquentia et rhetorica Ciceronis aetate, de mente propositoque rhetorico apud Ciceronem, de operibus Ciceronis rhetoricis, de traditione manu scripta operis cui titulus Brutus (pp. 7-22).

Tum adhibetur textus latinus amplissimis notis de grammatica, rhetorica historia, aesthetica ornatus. Textus latinus, ut plurimum, idem atque propositus a philologo Martho (*Cicerón, Brutus*, Les belles lettres, Paris, 1960), cui non nullae tamen variationes ab auctore sunt, data opera, suffectae.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

COZENS, M. L. — *Manual de herejías*. 136 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Libellum quem legendum lectoribus nostris commendamus, maximi momenti et utilitatis videtur. Veritates enim christianae, ubi ab hominibus sunt susceptae, adulterari periclitantur non tantum mala fide, verum etiam quod mentes quae eas accipiunt non omnino praejudiciis carent vel ignave eas exspectant. Sunt vera mentes quae propriis cogitationibus agitantur. Ex quibus quam facile haeresis oriri potest.

Angusti operis fines scrutationem omnium haeresum non patiuntur, quod auctor operam in primis navat praecipuis tantum haeresibus indagandis. Sedecim capitibus hujus modi errores dilucido ordine exponuntur et appendice quoque minores quaedam haereses explanantur e quibus praecipuae aetate recentiore emanarunt.

Videre licebit hoc volumine errorum non certe languidiorem fieri expositionem, sed in illis explicandis auctorem testificari quo pacto veritas, Apostolis olim concredita, sibi per saecula viam patefecerit lucidiusque in dies hominum illuminet mentes quae eam vehementer sincereque inquirunt.

M. MOLINA, C. M. F.



POCOCK, D. F. — *Antropologia social*. 135 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Locutio «antropologia socialis», ut technice dicitur, duplicem implicat notionem, speculativam scilicet et empiricam, quibus auctor uti vult in hoc opere. Nam antropologia hominem describit quoad corpus et genus et variam sese gerendi rationem spectat. De re igitur agitur empirica. Contra, scientia sociologica longinqua jam diu considerationi speculativae, juxta multorum opinionem, est annexo de munere et officio hominis in societate. Duplicem investigandi modum D. F. Pocock servat.

Hoc opere, quamvis perpaucis paginis, auctor in hodiernam rem prospectum offert et adultam nunc aetatem antropologiae socialis manifeste significat et amplissimam admodumque variam quaestionum visionem proponit, adeo ut potissimum intersit et theologorum et philosophorum et juvenum institutorum et omnium studiosorum qui sese scientia hominis initiare velint.

XIBERTA, B. M. — *Introductio in sacram Theologiam*. Editio secunda recognita et aucta 292 pag. Herder, Barcelona, 1964.

Auctorem ipsum in prooemio *Ad lectorem* dicentem inducamus quo penitus consilium ejus et mentem perspicimus: «Interest proinde ut denuo quaestiones introductoriae in unum colligantur et oportuna amplitudine donentur: verbo, renovetur introductio in s. theologiam... Jam aliqui viam straverunt... Sed existimo aequam nondum inventam esse viam... Ideo enitendum est

ut apta inveniatur introductio, qua s. theologiam, scientiarum reginam, recte colere doceamur... Quod cum exspectamus, conatus sum quantum potui operam huic labori navare. Porro in hoc maxime mihi incumbendum visum est, ut determinaretur radix unde theologia exoritur; nam inde pendet quod non ex arbitrio sed ex objectiva rei condicione signentur natura, proprietates, munera, methodus, fontes s. theologiae».

Potissimum, praesertim hodie, interest ut unitas et rectus ordo in disciplinis theologis serventur, ut revelatio et distinctio inter sacram theologiam ceterasque scientias clara et perspicua permaneat. Hujus modi quaestiones quamplurimae exponuntur in hoc opere atque disputantur.

Altera vero editione auctor opus ampliavit ut plures quaestiones quae ex scientiis non theologis quaeque in theologiam modo introducuntur, caperentur. Sed maxima est fides superiori editioni: theologiam ejusque postulata apte ut scientiam explicare.

M. MOLINA, C. M. F.

MOELLER, CH. — *Mentalidad moderna y evangelización*. Dios, Jesucristo, María, la Iglesia. 322 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Haec clmi. Professoris Universitatis Lovaniensis disputatio duplici quasi cardine vertitur: recentiorum hominum mente rerumque visione, quae axis sociologiae religiosae videtur et ratione ac via catechetica, quae axis etiam dicitur evangelizationis. Deus, Christus, Maria, Ecclesia — quae sunt totius ope-

ris argumenta— ab hoc duplici quasi angulo conspiciuntur.

Lovaniensis Professor, prima parte, describit quo habitu et animo homines aetate nostra Dei problemati conformentur (pp. 25-122). Auctor, altera parte, fuse penitusque investigat quare in religione christiana omnia in Christo consistent. (pp. 123-196). Tertia pars, quae Beatissimam Virginem spectat, interjectum quoddam spatium videtur ad quartam partem ingrediendam, nam mariologia minime a christologia et ecclesiologia sejuncta cogitanda est (pp. 197-248). Maxima autem operis novitas videtur doctrinae ecclesiologicae expositio. Oecumenicis fretus rationibus C. Moeller ostendit christifideles extra Ecclesiam utilia quaque invenire posse, quin Ecclesiam deminuere et parvipendere velit vel asserere anglicanos et luteranos doctrinam in quacumque fidei articulo plenioram quam catholicorum habere.

En liber qui, non cursim sed pedetemptim, quieta meditatione, legi tantum debet. Duplex typorum genus lectionem faciliorem reddit, quod praecipua auctoris cogitata typo majore cetera autem minore exprimuntur. Opus omnino commendandum.

M. MOLINA, C. M. F.

COTTON, GÉRARD. — *Vocabulaire raisonné latin-français*, groupant les mots d'après leur parenté étymologique. Troisième édition. H. Dessain, Liège. Pag. X-310.

Opus litterarum latinarum alumnis maximi momenti, cum laboris et studii adminiculum quam utilissimum sit. Superiores libri editiones a Consilio ad fo-

vendam perficiendamque apud Belgas Disciplinam Mediam Nationis maxima sunt laude cumulatae.

Critica praefatio clari viri W. van Rijckevorsel operi praeit, cujus quidem sententia Vocabularium et commodum et perpetuum ab alumno latinitatis aestimabitur.

*Commode*; l'élève y trouvera, groupés par familles, tous les mots qu'il a quelque chance de rencontrer au cours de ses études... *Durable*; l'élève pourra s'en servir avec profit croissant jusqu'à la fin de ses études».

Paucis de breviationibus explicatis deque signis usu receptis, pars libri prima his contrahitur capitibus: I. De praefixis. II. De suffixis. III. De vocabulorum formatione. IV. De sensus mutationibus. Altera vero pars lexico latino etymologico (*mots groupés par familles*) constituitur. Denique tertia libri pars Indice alphabetico omnium vocabulorum memoratorum perficitur. Scite in Vocabulario distinguuntur indices qui dicuntur «frequentiae» a clarissimo viro M. Mathy propositi (Cf. M. Mathy, *Vocabulaire de base du latin*, OCDL, Paris, 1952).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GUNKEL, T. — *El pan de la palabra*. Homilias para todos los domingos y principales fiestas del año, 360 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Sicut titulus libri ipse indicat, auctor hoc opere lectoribus praebere voluit verum cibum, verum «verbi panem» quo, quin fastidiamur, sapidissime quotidie vescamur. Divini verbi praeconium unam e praecipuis missae dominicae partibus esse considerari oportet.

Unde res seu argumenta harum homiliarum aptissime liturgiae cujusque diei dominici vel festi respondeant. Auctor totis viribus nititur nuntium biblicum nuntiare — verbum Domini — sine inutili profluentia verborum et ornatu: sobrie, quamvis alte, Evangelium est explicandum.

Jam inde a primis paginis T. Gunkel christifideles certiores facit se ipsos praeparandos esse ut utiliter verbum Dei suscipiant. Considerare debent divini verbi praeconium unumquemque christianorum singulari privatoque modo urge- re; cui tum aperire tum claudere animum omnes posse; verbum Dei hominibus qui extra Ecclesiam vivunt, per nos omnes vulgandum quoque esse.

Haec homiliarum series magnum erit adjumentum iis quibus concionari mos est atque officium; qui eisdem utantur facile convincentur quo modo assidua et pia sermocinatione sicut viva familia et communitas populus Dei possit aedificari.

M. MOLINA, C. M. F.

SANSON, H. — *Espiritualidad de la vida activa*. 356 pag. Herder, Barcelona, 1964.

Sacerdotes qui animarum sunt duces, consilarii multarum consolationum religiosarum laicorum ipsique laici omni tempore animadverterunt quam magna sit difficultas qua laici vitae activae dediti ab oratione impediuntur.

Auctor, hoc opere, non vult pro oratione in actionem dicere aut actionem adversus orationem defendere, sed christianos qui in strepitu mundano vivunt de oratione illustrare. Unus tantum est sensus pietatis seu religionis christianae:

fides erga Spiritum Christi et Ecclesiae. Nulla alia mystica disciplina atque illa qua homo Spiritum Christi et Ecclesiae experitur. Nulla alia sanctitas quom in animo praesentia ejusdem Spiritus Christi et Ecclesiae. Sed pietas, mystica disciplina, sanctitas variis unius praecipuae rei speciebus conformari potest.

Nunc vero nostris temporibus potissimum aridet homines considerare, quamvis implicatos officiis terrestribus, aeternum finem persequentes. Quae cum ita sint, nihil dubii quin in animis oriatur studium et necessitas theologiae spiritualis magis elaboratae vitae activae. Idem vero progressui — «promotio» vulgo dicitur — laicorum in Ecclesia intersumus; quod considerationi christianae novas de theologia spirituali quaestiones subjicit disputandas. Uno verbo: elaboranda est spiritualitas quaedam quae laicorum vitae maxime accommodetur.

Opus validissimis argumentis, ponderosa et lucida rerum expositione, nitida typorum expresione, novitate doctrinae ornatum, dignum ducimus quod omnibus commendetur.

M. MOLINA, C. M. F.

MARTIMORT, A. G. — *La Iglesia en oración*. Introducción a la liturgia. 1024 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

En opus quod verum corpus encyclion appellari potest ab Editrice Domo Herder in lucem affabre editum potissimumque ab omnibus expectatum.

Ipsam audiamus scriptorem: «Hoc opere ad exitum perducere velimus quod in votis fuit desideratissimo viro Dom. Beauvain de renovanda re liturgica.

Putabat enim ille progressum liturgicum difficulter factum iri nisi sacerdotibus et ad sacerdotium candidatis et etiam laicis in manibus praesto esset liber manualis quo edocerentur «pietatem Ecclesiae» intellegere et amare». Ob historica opera, experientiam spiritualem, curam pastoraalem de re liturgica multo penitius ingressi sumus in orationis Ecclesiae intellegentiam. Quapropter hoc opus a superioribus eo differt quo, quantum id fieri potest, temporis necessitati subveniatur. Antiquitatis indagazione magnopere juvamus in custodiendo thesauro a Domino nobis concredito; quae cum ita sint, studium liturgiae finibus romanis tantum circumscribere non debemus; quare hoc libro aliis ritibus, in primis Orientalibus jure locus ille tribuitur, quem jam inde a Leone XIII et Pio XI Sancta Sedes pro eis expostulabat.

Ecce introductionis hujus ad rem liturgicam index: Index universus (pp. 9-19). Prooemium (pp. 20-24). Catalogus siglorum (pp. 25-29). Introductio universa (pp. 30-88). Prima pars: Rei liturgicae fundamenta. I. Structura et leges celebrationis liturgicae (pp. 89-220). II. Theologia celebrationis liturgicae (pp. 221-282). Pars altera: Missae sacrificium cultusque Eucharistiae. I. Notionis Missae in universum (283-360). II. Rituum et orationum Missae examen (pp. 361-472). III. Eucharistiae extra Missam cultus (pp. 473-510). Pars tertia: De ceteris Sacramentis et Sacramentalibus (pp. 511-714). Pars quarta: De temporis sanctificatione. I. Dies Dominicus et hebdomada (pp. 715-738). II. Annus liturgicus (pp. 739-839). III. Horarum oratio (pp. 840-934). Appendix (pp. 935-972). Indices rerum et nominum (pp. 973-1019).

Quindecim clmi. viri Liturgiae peritissimi, qui A. G. Martimort moderante hoc exararunt volumen, continuo ante oculos habuerunt textum recentis Constitutionis ejusque Motus Proprii, quorum loci et paragraphi passim memorantur. Perennius aere in re liturgica monumentum.

M. MOLINA, C. M. F.

PASOLI, ELIO. — *Saggi di Grammatica latina* (a. 1961). — GALBOLI GUALTIERO, *Studi Grammaticali* (a. 1962). Nicola Zanichelli, Editore, Bologna.

Aliquot abhinc annis selectae eduntur lucubrationes de humanioribus linguis curante Universitate Studiorum Bonnoniae. Tomus nonus hujus bibliothecae a claro viro E. Pasoli exaratus, est de selectis grammaticae Latinae quaestionibus. Prooemio, introductione notaque librorum praemissis (pp. VII-XIV), his partibus constat libellus; I. Catullo e la dedica a Cornelio (pp. 1-8). II. Cic. Q. fr. 2, 9 (10), 3. (Per un'interpretazione grammaticale del giudizio di Cicerone su Lucrezio (pp. 9-28). III. Problemi de sintassi (pp. 29-56). IV. Per una trattazione sistematica del periodo ipotetico (pp. 57-84).

Professor vero G. Galboli, in volumine XI, de non nullis grammaticis quaestionibus agit, quae sunt; I. Sulla costruzione impersonale: «dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse» (Nep. 4, 5, 3) (pp. 1-116). II. Infinito jussivo latino (pp. 117-126). III. Participio in -tūrus e infinito futuro attivo (127-138). IV. La tendenza grammaticale dell'auctor ad Herennium (pp. 139-242). Praeit index generalis et praefatio (pp. V-XII),

memoratorum locorum index consequitur (pp. 243-258). Corpus quod STUDI inscribitur maxime cultoribus linguae latinae et graecae est commendandum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

LALOUP, J. — *La ciencia y lo humano* 380 pag Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Nemo infitiri potest quin scientiarum progressu, spatii occupatione, iuvenes ad studia scientifica inducantur.

Quam igitur vim habet haec scientifica cognitio? Quae autem est humani cultus et traditionis virtus? Hisce interrogationibus suo volumine «La ciencia y lo humano» J. Laloup dat responsa penitusque operam scientificam penetrans scientiarum artem criticam elaborat.

Inventa scientifica in extremum discrimen adduxerunt vim et momentum humani cultus et traditionis europaeae. Nihil mirum si scientia recentiorum veterumque philosophia inter se collidunt, adeo ut homo hodiernus fidem et religionem funditus confirmare cogatur. Sed — auctor ita defendit — haec scientiarum, quae experientia nituntur, oppositio adversus veteres illas scientias animi revocari valet, nam scientia recentior cum illis se consociare potest, etsi in eosdem effectus nequeant convenire. Haec tamen differentia utraque vario modo mutuo locupletatur.

«La ciencia y lo humano» opus ergo luculentum ducimus ad illustrandam quaestionem illam hominis et rationis technicae, scientiae et religionis et ad ampliora itinera in veram humanitatem christianam patefacienda.

M. MOLINA, C. M. F.

MERTON, T. — *Vida y santidad*. 175 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Clm. scriptor Thomas Merton, cuius opus Domus Editrix Herder vulgavit, certiores nos facit principiorum et elementorum vitae spiritualis simplici sincere quodam dicendi genere, quo vis singularis ipsius sermoni inseritur.

T. Merton nullum ait esse discrimen inter sanctitatem hominis laici et religiosi, praesertim cum vita christiana una eademque sit omnibus christifidelibus; nam «vita activa» idem est atque participem fieri illius magnae «missionis» Ecclesiae apud homines. Quod omnium baptizatorum interest: omnes homines eadem communique vocatione, ut in «vita activa» sancti fiant, vocantur.

Tota clmi. scriptoris lucubratio «gratia» mirabilique vitae interioris vi potius quam voluntatis humanae nititur. Spiritus Sanctus Christique in animis vitae supernaturalis potissimum exstat fundamentum. Totus plane liber fidem efflat et amorem vehementem erga Deum Patrem nostrosque in Christo fratres. Doctrina christiana Novi Testamenti in sermonem hodiernum miro modo convertitur. Quod quidem maximum fortasse sit operis meritum. Quare nihil dubii quin lectoribus liber sit in deliciis.

M. MOLINA. C. M. F.

ARMSTRONG, A. H. — MARKUS, R. A. *Fe cristiana y filosofía griega*. 176 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Saeculo II p. Ch. natum initum est colloquium inter christifidelium doctrinam et philosophiam graecam. Quod accidit cum nonnulli sapientes philosophicis imbuti disciplinis in Ecclesiam

ingressi sunt et cum aliqui quoque philosophi pagani novam doctrinam investigare coeperunt.

Climi viri Armstrong et Markus hoc opere consilium habuerunt nonnullas vires et momenta describere illius commercii inter graecam cogitandi rationem et novam revelationis doctrinam. De primo praesertim tempore colloquii auctores agunt, cum philosophia graeca ipsa per se habebat vitam libris minime mandata et cum traditio cogitationis christianae e primordiis quasi erumpebat. Tamen non tantum de temporibus agitur Sanctorum Ecclesiae Patrum, sed res quoque protrahitur usque ad saeculum XII, quo summum cum Aristotele fit colloquium.

Opus in decem capita dispertitur, quorum quinque prima A. H. Armstrong, cetera R. A. Markus exaravit. Parvum volumen lectoribus nostris magno opere commendamus.

NELL-BREUNING, O. — *Capitalismo y salario justo*. 183 pag. Edit. Herder, Barcelona, 1964.

Hoc parvum volumen est maximi momenti, quoniam omnium interest rite perpendere exagitatam mercedis justae quaestionem quae in re oeconomica potissimum valet.

Temporibus decurrentibus operarii idoneum locum occupare potuerunt in societate nostra oeconomica, praesertim vero propter eorum consociationes et conventus. Tamen perpetua rerum evolutio novas semper condiciones et difficultates affert, quorum problemata, causae, solutiones ab auctore perite et scienter disputantur. Primum Nell-Breuning

oeconomicum paucorum hominum potentatus (*capitalismo*) in plures species distinguit historiamque seu evolutionem per superiores centum annos in re publica, in civium societate, in familia describit. Deinde aequa lance pensitat exitus et incommoda hujus rationis seu systematis oeconomici. Denique quaestiones aggreditur, quae in primis operarios maxime spectant, ut, exempli gratia, merces aequa, artificum in beneficiis participatio, reditus seu proventus sociales, salarium familiare, condicio familiarum numerosarum, onera socialia, ceteraque.

Nell-Breuning explicatio atque argumentatio in re oeconomica magna auctoritate et pondere gaudet, quo lectoribus ipsum volumen per se commendetur.

M. MOLINA, C. M. F.

MINCIONE GIUSEPPINO. — *Ovidio cantore della sua terra e poeta d'amore*. Edit. Trebi-Pescara, 1961, pag. 51.

Climus. scriptor Josephus Mincione litterarum antiquarum studiosus doctusque Ovidii aestimator, hoc quem libenti animo lectoribus praebemus libello, sibi proposuit operam consociare ad bis millesimum Ovidii natalis annum celebrandum, illius dicamus illustrissimi poëtae qui quasi futuras aetates prospiciens de se ipse cecinit:

*Me vatem celebrate, viri, mihi dicite  
[laudes,  
cantetur toto nomen in orbe meum.*

Finis vero quem auctor attingere voluit, magnum non fuit componere librum quo Ovidius ad astra efferretur, sed opellam in lucem edere qua omnes in cognitionem Ovidii vitae summatim pro-

positae venirent. (...«una sintesi rapida e facile dell'opera del grande e dolce poeta, senza pretese di novità o soverchio spoggio di erudizione, ma, appunto per questo, gradevole ed efficace per l'uditorio...»).

En indiculum qui vobis, lectores humanissimi, libri notitiam praebebit. *Poesia amatoria* (pag. 22), *Ovidii Roma* (pag. 28), *Ovidius et D'Annunzio* (pag. 29), *Ars amandi* (pag. 30), *Con-*

*silia hominibus* (pag. 32), *Consilia feminis* (pag. 33), *Amoris medicinalia* (pag. 37), *Fasti* (pag. 42), *Exsiliium* (pag. 45), *Ovidius poësim suam tutatur* (pag. 40), *Poëtae fama* (pag. 49).

Praefatio (pag. 7-8) a claro Prof. Ferdinando M. Brignoli scripta praemititur. Liber speramus fore ut ab omnibus, qui Ovidium admirantur, summa voluptate legatur. J. ARAMENDÍA, C. M. F.

## IN MEMORIAM

Albertus Sleumer, doctor ille celeberrimus et theologiae et philosophiae, Idibus Iulii (id est die quinto decimo mensis Iulii) annum duodenonagesimum aetatis suae et sacerdotii suscepti sexagesimum quartum agens meridie, dum campana resonat ad salutationem angelicam, pie placideque vita functus est. Qui vir doctissimus optime de lingua Latina meritis praeter non paucos libros tam theologicos quam narratorios conscriptos anno 1926° Limburgi lexicon illud locupletissimum Latino-Germanicum edidit vocabulorum ecclesiasticorum, cujus operis ingentis his annis in aedibus Benzigerianis Einsid- lensibus et Turicensibus Helvetiae nova editio multo auctior paratur. Idem anno concilii Vaticani incohandi, quod nunc est, lexicon ecclesiasticum Germanico-Latinum curavit tertium edendum. Id autem viribus contentis studuit, ut singulas vocalium mensuras etiam vocabulorum recentiorum investigatas quam diligentissime signaret notaretque, quo soni vocum antiquarum vel ad exempla praestantissima ficturum splendidius resonarent.

Faxit igitur Deus, Dominus universorum, ut, qui nihil antiquus habuit, quam ut verba nuntii divini ad antiquam virtutem euphoniaeque revocaret, colloqui consortique caelestis in perpetuum particeps sit, quae beatitudo verbis quidem humanis exprimi non potest, sed Verbo Divino salutariter insinuat.

P. CAELESTIS EICHENSEER, OSB.

## FESTA NATALICIA

CHRISTUS DOMINUS  
ITERUM ADVENIENS ET APUD NOS NASCENS  
AMICIS ET LECTORIBUS  
PALAESTRAE LATINAE  
BONUM ET PACEM AFFERAT  
AC SUPERNIS DONIS AMPLISSIME EOS CUMULET

# PALAESTRA LATINA

## Index rerum atque scriptorum

a. 1963 et 1964

### Disputationes praecipuae

1963. — C. Eichenseer, De pronuntiatu latino, 1.

N. Mangeot, Venantius Fortunatus, 10.

N. Mangeot, De Horatio Flacco, 65.

J. Jiménez, De discrepantia seu de concordantiae defectu, 121.

C. Eichenseer, De nominibus machinarum quarundam recentiorum, 133.

A. Pagano, Almam veterum Romanorum linguam Italus magister defendit, 177.

F. Aloise, De Johannis Pascoli vita latinisque carminibus, 181.

1964. — A. Grisar, Vocabulorum collocatio quantum ad brevitatem et subtilitatem linguae latinae proficiat, 233.

A. Pagano, De Josephi Famiglietti quod «In Pii IX Pontificis Maximi ab Urbe abitu et Cajetam adventum» inscribitur, 243.

C. Eichenseer, De urbe Monaco saeculis sexto decimo et postero multum exulta, 289.

J. Jiménez, De Hugone Henrico Paoli clarissimo scriptore et poeta latino, 347.

A. Pagano, De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Melchioris de Polignac, quod «Antilucretius» inscribitur, poemate, Lugduni Batavorum edito, 360

J. Ijsewijn, Conspectus poetarum Latinorum saeculi vicesimi, 384.

N. Mangeot, De ideis Platoniciis, 415.

### Carmina

1963. — J. Ambrosi, Nox ultima mundi, 17.

F. Aloise, Johanni XXIII Universali Patri et Magistro, 92.

J. Tusiani, Epigrammata, 92.

H. Huxley, Epigrammata, 92, 93.

E. Martin, In quinquagesimum diem anniversarium Brevis Apostolici «Religiosas familias» carmen, 94.

J. Ambrosi, Iter Dantis in Deum: Angelicus Nauta, 141; Matelda apud fluvium in Divino Nemore, 144; Sanctus Franciscus, 145.

H. H. Paoli, In limine letti, 187.

1964. — J. Ambrosi, Iter Dantis in Deum: Vestibuli Stigiti villissima turba, 248; Franciscus et Paulus, 249; Pharinata, 251.

J. Ambrosi, Iter Dantis in Deum: Geryon, 314; Ulixes, 315; Hugolinus comes, 317.

J. Ambrosi, Iter Dantis in Deum: Cato Uticensis, 369; Angelicus Nauta, 372.

R. Paone, Natale solum, 421

### Epistularum inter socios commercium

1963. — Bonamicus Actensis - Mir - Bonamicus Actensis - Mir, 38

Fontantinus - Mir - Fontantinus, 40.

Eichenseer, 44; Ijsewijn - Mir, 41.

Basilus - Mir, 79; Ijsewijn - Mir, 81; Aloise - Mir, 83.

1964. — Caelestis - Mir, 267.

Basilus, 323; 325.

Eichenseer - Mir, 324

### Per Orbem

1963. — J. Aramendia, 47, 97, 156.

J. Sidera, 206.

1964. — J. Aramendia, 263, 380, 434.

J. Fabregas, Notulae de Conventu Argentoratensi, 265.

### Nova et Vetera

1963. — L. M. Sansegundo, Colloquium de tabaco, 33.



C. Eichenseer, De telephōno et telephonio, telegrāpho et tetegrāpho, 72; *Mir*, Adnotatiunculāe, 77.

L. M. Sansegundo, De familiae stirpe sive de genealogia, 148.

L. M. Sansegundo, Televisio mirandum hujus aetatis inventum, 201.

1964. — *Mir*, Iter tramine feci, 253; In aëriportu (I), 305; In aëriportu (II), 374; Hiberni temporis imago, 411.

### Varia

1963. — R. Schmitt, De Petro Juliano Eymard Sacerdote, novo Ecclesiae Sancto, 31.

Collectanea: Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam «Veterum sapientia» rite exsequendam, 89.

B. Fontanini, Resticula amoliamur, 95.

A. Pagano, Aegrotat Pater Communis Benignus Papa Johannes, 140.

N. Lusito, Quo scribendi genere in Majoribus Religiosorum conventibus utendum, 153.

C. Caelestis, J. Rubenbauer mortem oblit, 155.

C. Eichenseer, Congelatus lacus Brigantinus, 191.

1964. — R. Schmitt, Theodorus Heuss, primus Foederatae rei publicae Germanicae praeses, mortem oblit, 320.

L. M. Sansegundo, Hortis subsistivis, 326.

A. Pagano, Defendamus Pium XII, 405.

### Bibliographia

1963. — J. Ter Vrugt-Lentz, Mors imatura, 50.

Anuario PETRUS, la voz del Papa. Juan XXIII, año 1959 y año 1961, 50.

J. Olives, Platón, Diálogos, VII, Fedón, 50.

R. Meliá, La Asunción de María en Demetrio Crisoloras, 51.

C. Piazzino, Regina Viarum, Sintassi Latina per le Scuole Medie Superiori, 51.

A. Maiuri, Lettere di Tiberio da Capri, 51.

C. Rosset, Mots latins usuels, 52.

E. Valgiglio, L'esodo delle «Fenticie» di Euripide, 52.

G. Bruno, Bucoliche e Georgiche, antologia, 52.

W. Willige, Tibull und sein krets, 52.

W. Schoene, Seneca, Apokolokyntosis, 53.

R. Roesch, Publius Ovidius Naso, Metamorphosen, 53.

R. Harder, Publius Ovidius Naso, Liebes-Gedichte, 53.

O. Werner, Aischylos, Tragoedien und Fragmente, 54.

J. Bingen, Menander, Dyscolos, 54.

H. Drexler, Polybios, Geschichte, 54.

E. Scharr, Roemisches Privatrecht, 55.

E. de Saint Denis, Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre X, 55.

L. Spitzer, Stilstudien, 55.

G. Cammelli, Platone, Apologia di Socrate, 56.

T. Navarro, Manual de pronunciaci3n española, 56.

A. Ronconi, Terenzio, Le Commedie, in operculis n. 181.

O. Veh, Prokop, Anekdoten, in operculis n. 181.

Laloup-Nelis, Dimensiones del Humanismo contemporáneo, in operculis n. 181.

K. Vretska, C. Sallustius Crispus, Invek-tive und Episteln, in operculis n. 181.

Mittelateinisches Woerterbuch. I Band. Lieferung 5: angina - applico, in operculis n. 181.

B. Axel, The Golden House of Nero, in operculis n. 181.

Encyclopédie de la Mythologie, 102.

K. Mueller, Perronii Arbitri Satyricon, 102.

L. Malten, Die Sprache des menschlichen Antlitzes im fruhen Grtegentum, 102.

A. Kabell, Metrische Studien, 103.

I. Mariotti, Introduzione a Parucvio, 103.

A. Cailleux - J. Komorn, Dictionnaire des racines scientifiques, 103.

H. Geist, Pompeianische Wandinschriften, 104.

M. Falner, M. Tulli Ciceronis Laelius de Amicitia, ad T. Pomponium Atticum, 104.

O. Tempini - J. M. del Col, Sintaxis latina de la oraci3n simple, 104.

J. J. M. Zonneveld, Angore metuque, 104.

E. Meyer, Roemischer Staat und Staatsgedanke, 105.

- . Moreau, Das trierer Kornmarktmosaik, 105.
- G. Dorminger, C. Julius Caesar, Der Galtsche Krieg, 106.
- A. Paredi, Sa. Ambrogio e la sua età, 106.
- H. Hempel, Gottisches Elementarbuch, 107
- J. Humbert, Manuel pratique de grec ancien, 107.
- H. Scullard, A History of the Roman World, 107.
- G. Thomson, The Greek Language, 108.
- H. Luschej, Funde zu dem grossen Fries von Pergamon, 108.
- A. Greifenhagen, Antike Kunstwerke, 108.
- P. Vossen, Der Libellus Scolasticus des Walther von Speyer, 109
- E. Schwartz, Gesamelte Schriften zur Geschichte der alten Kirche und ihres Rechts, 109
- J. H. Croon, Encyclopédie de l'antiquité classique, 109.
- Baudiffier - Gason - Thomas, Initiation aux Lettres Latines, 110.
- E. Buscher, Euripides, Orestes, Iphigene in Aulis, Die Maenaden, 110
- H. Faerber, Musatos, Hero und Leander, 110.
- R. Duell, Corpus Juris, 111.
- F. Sartorelli, Il pensiero Romano, 111.
- A. Haurj, Regulus, vel pueri soli sapunt, 111.
- P. Wuilleumier, Ciceron, Caton l'ancien, 111.
- Atti del I Congresso Internazionale di Studi Ciceroniani, 112.
- Denzinger-Schoenmetzer, Enchiridion Symbolorum, 112.
- S. Morris, Carmina latina, 112.
- G. Fasoli - G. B. Pighi, Il privilegio teodosiano, in operculis n. 182.
- A. Tovar, Papeletas de geografía turdetana, in operculis n. 182.
- Certamen Capitolinum XIII, a. MDMCCCC-LXII, in operculis n. 182.
- G. Stolz, Latinum per quaestunculas et per soliloquia, in operculis n. 182.
- J. Pfab, Manual de Rúbricas, in operculis n. 182.
- Enciclopedia Lingüística Hispánica, Tomo I, Antecedentes y Onomástica: t. I - Suplemen-
- to, La Fragmentación Fonética Peninsular, 159.
- U. Prota, I teatri di Napoli nel 1600, 159.
- W. Schoene - W. Eisenhut, Salust und Scriften, 160.
- K. Fritz, Antike und Moderne Tragoedie, 160.
- I. Congar, La conciencia eclesiológica en Oriente y en Occidente del siglo VI al XI 160.
- J. Zahonero - L. Casanoves, Los Himnos del Breviario, 161.
- R. Argenio, Lucio Accio, Frammenti tragici, 161.
- H. Hafner, Vivencia de la culpa y conciencia, 162.
- Centros de Enseñanza Superior, F. E. R. E., 162.
- E. Firkel, La mujer, plenitud y entrega, 162.
- A. Freire, Selecta Latina, 162.
- Camino abreviado del amor divino. Místicos Franciscanos, 163.
- A. Serafini, Virgilio, antologia de tutte le opere, 163.
- J. Eberle, Viva Camena, 163
- V. Costa, Le Discusstoni Tusculane, Cicerone, 163.
- F. Bignoli, Cometes, 164.
- U. Carlotti, Dei sepolcri, 164.
- E. Paratore, Eneide, libro IV, 164.
- P. Provera, El retiro mensual, 164.
- M. Rufino, Vademecum de ejemplos predicables, 164
- G. Munno, La lingua d'Omero, 165.
- A. von Gerkan, Von antiker Architektur und Topographie, 165.
- S. Correnti, Magister: Antologia del pensiero pedagogico romano dalla fine della república all'avventa del cristianesimo, 165.
- H. Rupé, Homer Ilias, 166.
- A. Weiher, Homer Odyssee, 166.
- A. Weiher, Homerische Hymnen, 166.
- A. Ernout, Pline l'ancien, Histoire Naturelle, livre XXVIII, 166.
- W. Mueri, Xenophon, Der Zug Zenntausend, Cyri Anabasis, 167.
- D. Bo, Q. Horati Flacci opera. Vol. I. Carminum libri IV, Epoden liber, Carmen saeculare. — Vol. II. Sermonum libri II, Epistularum libri II, De arte poetica liber, 167.

- E. Kunze, VII, Bericht ueber die Ausgrabungen in Olympia, 167
- E. Poehlmann, Griechische Musikfragmente, 168.
- N. E. Collinge, The Structure of Horace's Odes, 168
- R. L. Verdier, Exercices pour le Cycle d'observation, 168.
- Ae. Springhetti, Lexicon Linguisticae et Philologiae, in operculis n. 183.
- Centro de Cultura por Correspondencia CCC, Verba Latina, in operculis n. 185.
- L. Bouyer, El sentido de la vida, 212.
- Celam, Guía para el apostolado vocacional, 2.2.
- Card. A. Bacchi, Lexicon vocabulorum quae difficultus latine redduntur, 213.
- M. Floriani, I culti orientali ad Ostia, 214.
- F. Portalupi, Marco Cornelio Frontone, 214.
- I. S. R. e C. S. C., Marco Tullio Cicerone, 214.
- G. Stegen, Essai sur la composition de cinq Epitres d'Horace, 215.
- C. Stegen, L'unité et le clarté des Epitres d'Horace, 215.
- E. Kusch, Herculaneum, 215.
- G. D'Anna, Ancora sul problema della composizione dell'Eneide, 216.
- A. J. Kleywegt, Ciceros Arbeitsweise im zweiten und dritten Buch der Schrift: De natura deorum, 216.
- M. Pittau, L. A. Seneca, Lettere a Lucilio, 216.
- G. Thomson, Greek Lyric Metre, 217.
- J. C. Stobart, The Grandeur that was Rome, 217.
- G. Grasso, Virgilio, Eneide, libro ottavo, 218.
- M. Diaz y Diaz, Antologia del latín vulgar, 218.
- R. S. Bluck, Latin Unsens, 218.
- H. Frisk, Griechisches etymologisches Woerterbuch, 219.
- A. Ernout, Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXIX, 219
- G. Brocchia, Critica stilistica e filologica, 219.
- J. Mincione, Ovidio cantore della sua terra e poeta d'amore, 219.
- E. Paratore, Plauto, 220.
- V. Pisani, Introduzione allo studio delle lingue germaniche, 220.
- A. Alvarez de Miranda, Las religiones místicas, 220.
- H. Paoli, Versus diabolici alitque lusus, 220; Pinoculus Latinus, 220.
- E. Correa, Baltasar Gracián, su vida y su obra, 222.
- D. Alonso, La lengua poética de Góngora, 222.
- V. D'Agostino, Studi sul Neostoicismo, Seneca, Plinio il Giovane, Epiteto, Marco Aurelio, 222.
- W. Schoellgen, Problemas morales de nuestro tiempo, 223.
- O. Karrer, Sucesión Apostólica y Primado, 223
- D. Van den Eynde, Tradición y Magisterio, 223.
- C. Fabro, El problema de Dios, 224.
- A. Mortera, Odi et Epodi, 224.
- J. Horner, ¿Vuelve el Diaconado de la Iglesia primitiva?, in operculis n. 184.
- A. Goerres, Métodos y experiencias del psicoanalista, in operculis n. 184.
1964. — J. F. Niermeyer, Mediae Latinitatis Lexicon Minus, 270.
- R. Merkelbach, Roman und Mysterium in der Antike, 270.
- G. e C. Charles - Picard, I Cartaginesi al tempo di Annibale, 271.
- E. Bickel, Lehrbuch der Geschichte der Roemischen Literatur, 271,
- A. Stefanelli, Die Volkssprache im Werk des Petron, im Hinblick auf die romanischen Sprachen, 272.
- R. Palmer, Mycenaeans, 272.
- G. Devoto, Nuovi studi di stilistica, 273.
- Mittelateinisches Woerterbuch, I Band, Lieferung 6, applodo - armatum, 273.
- J. André, Ovide: Contre Ibis, 273.
- A. Serafini, Virgilio: Antologia da tutte le opere, 274.
- K. Buschner, Studien zur roemischen Literatur. Cicero, 274.
- F. Trisoglio, Ellade Cristiana, 275.
- G. Luck, Die roemische Liebeslegie, 275.
- M. Balusch, Baquillides: Odes, 276.
- C. M. Lersici, Italia sepolta, 276.

- B. Brugioni*, De vertice lumen, 276.
- I. Asta*, Zur Wortstellung und Satzbildung bei Pindar, 276.
- R. Colombo*, L'ombra non é che l'istante della luce, 277.
- Certamen Capitolinum XII*, Curante Instituto Romanis Studijs Provehendis 277
- M. Gautreau - C. Rosset*, Grammaire Latine, 278.
- C. Rosset*, Précis de grammaire latine; Exercices latines 6<sup>e</sup>; Exercices latines 5<sup>e</sup>, 278.
- M. Lefauve - J. Marcel*, Galli duo, 278.
- V. J. Herrero*, Virgilio, Eneida II, 279.
- Echave Sustaeta*, Virgilio, Eneida, Libro II, 279.
- J. Scarrat*, Guida alla traduzione dal greco, 279.
- B. Calzaferri*, Orazio, Litiche scelte e commentate, 280.
- V. D'Agostino*, Tacitus Cornelius, De vita et moribus Julii Agricolae liber, 280
- J. Forni*, Taciti, De vita Julii Agricolae 280.
- A. Maiuri*, Naples, Pompéi, Herculaneum, Promenades en Campanie, in operculis n. 185.
- G. Cesario*, Euripide: Ifigenia in Aulide, in operculis n. 185.
- E. Evrard*, Textes latins authentiques, in operculis n. 185.
- M. Gigante - A. Presta*, Antologia della letteratura greca, in operculis n. 185.
- G. Del Estal*, La Orestada y su genio jurídico, in operculis n. 185.
- R. Hagelstange*, Roemische Olympia, in operculis n. 185.
- Fr. Pichlmayr*, Sextus Aurelius victor de Caesaribus, 329.
- Ph. Damon*, Modes of Analogy in ancient and medieval verse, 329.
- E. L. Bundy*, Studia Pindarica, 329.
- R. Blach*, Los orígenes de Roma, 330.
- A. Traina*, L'alfabeto e la pronunzia del latino 330.
- G. Rohde*, Studien und Interpretationen zur antiken Literatur, Religion un Geschichte, 331.
- A. Rousseau-Liessens*, Géographie de l'Odyssée, Les Récits, 331.
- Ae Boer*, Heliotori, ut dicitur, in Paulum Alexandrinum commentarium, 331.
- J. André*, Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XVI, 332.
- R. L. Verdier*, Exercices pour le cycle d'observation, 332.
- R. Barbariga*, Castidad y vocación, 332.
- J. Cousin*, Cicéron, Discours pour Caeltus, sur les Provinces Consulaires, pour Balbus, 333.
- M. Leumann*, Lateinische Grammatik, 333.
- J. B. Hofmann - A. Szantyr*, Lateinische Syntax und Stilistik, 333.
- E. Koesterman*, Cornelius Tacitus. Tomo II - Fasc. 2. Germania, Agricola, Dialogus de Oratoribus, 334
- A. A. R. Bastiaensen*, Observations sur le vocabulaire liturgique dans l'itinéraire d'Égerte, 335.
- H. Frisk*, Griechisches etymologisches Woerterbuch, Lieferung 14, 335.
- A. Ernout*, Pline l'Ancien: Histoire Naturelle, livre XXX, 336.
- H. Bornecque*, In Catilinam Orationes, 336.
- R. Till*, Tacitus: Das Leben des Julius Agricola, 336.
- G. Schwieder*, Latine loquor, in operculis n. 186.
- V. Zamora*, Lope de Vega: Su vida y su obra, in operculis n. 186.
- H. Jerez*, El educador de un Imperio, in operculis n. 186.
- Renard - Duysinx*, Répertoire des moyens audiovisuels, vol. I: Films fixes et diapositives, in operculis n. 186.
- A. Morpurgo*, Isocratis ad Demonicum, 390.
- F. J. Scheid*, Sociedad y sensatez, 390.
- G. B. Kiriland*, One day in ancient Rome, 390.
- M. Goyens*, Recueil de themes latins pour la 4 et la 3, 391.
- A. Mazzarino*, M. Catonis: De agrri cultura, 391.
- A. Kurfess*, Appendix Sallustiana, 391.
- P. J. Enk*, Sex. Propertii elegiarum liber secundus, 392.
- E. Negre*, Les Noms de lieux en France, 392.
- J. Chadwick*, The Prehistory of the Greek Language, 393.
- F. Cupatulo*, Un capitolo sull'esametro latino, 393.
- B. Calzaferri*, Catullo: I carmi, 393.

- J. Ruclens*, Cicéron: Pro Archia poeta, 394.  
*P. Mazon*, Hestodus: Opera, 394.  
*A. Severyns*, Texte et apparat, 394.  
*J. Labaurt*, Saint Jérôme: Lettres. t. VIII, 395.  
*C. Tresmontant*, Orígenes de la Filosofía Cristiana, 395.  
*D. Rops*, Las fuentes de la vida de Jesús, 395.  
*A. Hus*, Las religiones griega y romana, 395.  
*A. Ronconi*, Cicerone, Somnium Scipionis, 396.  
*O. Raith*, Petronius etn Epikurer, 396.  
*G. E. Duckworth*, Structural Patterns and proportions in Vergil's Aeneid, in operculis n. 187.  
*U. Lepore - G. Martano*, Il sommo bene, in operculis n. 187.  
*G. S. Kirk*, The Sons of Homer, in operculis n. 187.  
*De Rose - Paolillo*, Cicerone: Romana sapientia, in operculis n. 187.  
*H. H. Huxley*, Carmina: MCMLXIII. — An Anthology of Latin Verses in the Meters of Lyric, Epigram and Comedy, in operculis n. 187.  
*A. Vander - Kerken - L. Remy*, Roma declinanz, 445.  
*E. Firkel*, La mujer. vocación y destino, 445.  
*M. Fargues*, Tests colectivos del Catecismo, 445.  
*Manual del Catecismo Católico*, t. V., 446.  
*Catecismo Junior*, 446.  
*F. X. Durrwell*, La Resurrección de Jesús, misterio de salvación, 447.  
*H. Bardon*, Il gento latino, 447.  
*Biblia en colores*, 447.  
*L. Monden*, El milagro, signo de salud, 448.  
*M. J. Indart*, Jesús en su mundo, 448.  
*K. Tilmann*, La penitencia y la confesión, 449.  
*B. Häring*, El matrimonio en nuestro tiempo, 449.  
*S. Cecchi*, Cicerone: Brutus, 450.  
*M. L. Cozens*, Manual de herejías, 450.  
*D. F. Pccock*, Antropología social, 451.  
*B. M. Xiberta*, Introductio in sacram Theologiam, 451.  
*Ch. Moeller*, Mentalidad moderna y evangelización, 451.  
*G. Cotton*, Vocabulaire raisonné latin-français, 452.  
*T. Gunkel*, El pan de la palabra, 452.  
*H. Sanson*, Espiritualidad de la vida activa, 453.  
*A. G. Martimort*, La Iglesia en oración, 453.  
*E. Pasoli*, Saggi di Grammatica latina, 454.  
*J. Lalcup*, La ciencia y lo humano, 455.  
*T. Merton*, Vida y santidad, 454.  
*A. H. Armstrong - R. A. Markus*, Fe cristiana y filosofía griega, 455.  
*O. Nell-Breuning*, Capitalismo y salario justo, 455.  
*Giuseppino Minicone*, Ovidio cantore della sua terra e poeta d'amore, 456.  
*I. Errandonea*, La «Antígona», de Sófocles, in operculis n. 188.  
*Giovanni La Magna - Pietro Frasca*, Vivida Tellus, in operculis n. 188.  
*Lucrezio*, De Rerum Natura, in operculis n. 188.  
*Virgilio*, Eneide, Libro II, in operculis n. 188.
- PALAESTRÁ ADULESCENTIUM**
- Fabellae imaginibus ornatae*
- 1963.** — *G. Joseph*, Caecus, 58.  
*E. Tejerina*, Tres latrones, tres petasi, 114.  
*N. Mangeot*, Josephus, puerulus pauper, telegramma ad Deum mittit, 169.
- 1964.** — *A. López*, Tres dicuntur latrones, 282.  
*A. Luna*, Gallus ille «Passionis», 338.  
*R. Sarmiento*, Mira prodigia, 339.
- Narrationes**
- 1963.** — *P. Miguélez*, Exempla trahunt, 63.  
*S. M. Esono*, Quare galli et gallinae dum aquam potant sursum spectant, 63.

*N. Mangeot*, *Vulpes et feles*, 64.  
*N. Mangeot*, *Diogenes*, 115; *Stimulacrum*  
*apparet*, 118.

*G. Ndongo*, *De lupi et agni amicitia*, 119.

*J. M.*, *Zeuxis et Parrhasius*, 171.

*Alumnus Guineensis*, *Quis est rex*, 225.

*P. Pascual - P. Pérez*, *Pugna cum leopardo*  
*commissa*, 226.

*J. Marqués*, *Auctores meminerint*, 231.

1964. — *R. Sarmiento*, *Gavia et equus bi-*  
*pes*, 283.

*H. Cambra*, *Duo Arcades Megaram ve-*  
*ntunt*, 284.

*N. Mangeot*, *Suum pro me sanguinem fu-*  
*dit*, 285.

*S. Moto*, *De psittaco*, 285.

*G. Gañán*, *De morte Kennedy*, 342.

*N. Mangeot*, *Da mihi spongiam et citha-*  
*ram*, 343.

*J. Beltrán*, *Veniant mures!*, 398.

*M. Fons*, *Galli pinguis fabella*, 402.

#### **Imagunculae Historiae Romanae**

1963. — *M. Molina*, *Romanorum ad Fur-*  
*culas Caudinas clades* (II), 60.

*Hannibal Romanorum infestissimus hos-*  
*tis*, 116.

*J. M. Mir*, *Saguntum, urbs opulentissima*  
*ab Hannibale deletur* (I), 172; *Saguntum...*  
 (II), 228.

1964. — *J. M. Mir*, *Saguntum, urbs opu-*  
*lentissima ab Hannibale deletur* (III), 340.

*M. Molina*, *Quintus Fabius Maximus*  
*Cunctator*, 440.

#### **Utilia cogitata**

1963. — *J. Marqués*, *Scitisne quid atomi*  
*sint?*, 57.

*E. Segura*, *De amicitia*, 62.

*R. Chamelar*, *De divina animorum origine*  
 62.

*N. Mangeot*, *Litterae tempus diuturnum* n  
*requirunt*, 174.

1964. *Paedagogus*, *De exercitatione*  
*corporis*, 281; *Miscentes utile dulci*, 287.

*N. Mangeot*, *De ratione edendi apud Ro-*  
*manos*, 337.

*R. Pereson*, *De Cicerone et Caesare scrip-*  
*toribus*, 397.

#### **Curiosa - Jocosae - Aenigmata**

59, 62, 63, 64, 114, 115, 118, 119, 120,  
 174, 175, 176, 226, 227, 230, 231, 232, 284,  
 285, 286, 287, 288, 342, 343, 344, 399, 400,  
 401, 402, 403, 404, 419, 420.

#### **Cantica**

*C. Aramendia*, 64.

*M. Molina*, *Asinula aegre laborat*, 120.

*J. Aramendia*, *En supra montem*, 176; *Ten-*  
*toria movamus!*, 344.

*S. F. Jack*, *Num quis linguam latinam*  
*amar?*, 288.

*Incerti auctoris cantilena*, 444.

# BIBLIOGRAPHIA

ERRANDONEA, Ignacio S. J. — *La «Antigona» de Sófocles*. Una revisión de su estructura dramática. Bogotá, Instituto Caro y Cuervo 1961, pag. 47.

Sex abhinc annos doctissimus P. Ignatius Errandonea librum foras vulgavit qui inscribitur «*Sófocles: Investigaciones sobre la estructura dramática de las tragedias y la personalidad de sus coros*» (Madrid, Edit. Escelicer 1958, pag. 406). Quo libro praecipuae quaestiones de Sophoclis fabulis colliguntur. Ex iis tres hoc fasciculo valde momenti inseruntur disputationes: 1.<sup>o</sup>) Auctor solvere conatur quaestionem de duobus itineribus quae Antigona ad fratris cadaver facit; quod juxta scriptorum sententiam fieri ex adjunctis non posse videtur; 2.<sup>o</sup>) in secunda proponitur explicatio verborum illorum quibus princeps femina antequam moritur valedicit; 3.<sup>o</sup>) in tertia quaestione de quarto chori «stasimo» disputat auctor.

Hae tamen tres disputationes hoc libello collectae, explanationibus novisque documentis nunc collustrantur. Quod maxime in primis valet ad interpretandos alios Antigona locos, ad verba primigenia invenienda et constituenda et ad jura ab explanatoribus violata codicibus reddenda. De quibus omnibus —qua sua est fabularum graecarum cognitione—, via ac ratione procedens, peritissime P. Ignatius Errandonea disserit.

Est ergo quod clarum hunc virum laudibus iterum cumulemus.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

GIOVANNI, LA MAGNA - PIERRO, FRASCA, *Vivida Tellus* vol. I. *Grammatica latina*. Parte teorica: Morfologia, pp. 300; vol. II *Elementi di Sintassi con esercizi* (Per la Terza Media), pp. 356; *Esercizi Latini*, Vol. I Per la Prima media, pp. 272; Vol. II Per la Seconda Media, pp. 338. Società Editrice Internazionale, Torino, 1961.

Inter tot et tam egregias «methodos», seu rationes quae in Italia semel iterumque ad latinam linguam edocendam evulgantur, omni laude censeo quam magistri Magna et Frasca lectoribus nostris offerendam tradiderunt. Quattuor constat voluminibus, quorum in priore auctores de morphologia latina agunt, doctrinam universam simplici et clara ratione proponendo, in iis maxime sistendo quae ad verborum praeterita et supina efformanda sese referunt (pp. 195-232). In altero volumine doctrina de syntaxi latina gradatim evolvitur cum magna exercitiorum copia, quo regulae singulae altius in adulescentium animis infigantur. Duo sunt praeterea volumina ad exercitia primae et secundae scholae mediae institutionis, quae a simplicioribus sententiis procedunt paulatim ad difficiliore ascendendo. Haec duo volumina vocabularium continent quo facilius sententiae ex una lingua in aliam vertantur.

Rerum dispositio et typographicus labor omnino laudandus est.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

VIRGILIO *Eneide, Libro II*, a cura di V. Ussani Jr.; Vittorio Bonacci Editore, Roma 1951. III-XLVII y 4-244.

Auctoribus hujus corporis cui «*Collezione Classica*» est inscriptio, propositum fuit libros classicos emittere quibus quaestiones de re critica agitentur, deque arte auctorisque via atque ratione. Aliis verbis libri sucum magistris et alumnis praebere constituerunt. Quare parvi fecerunt libros «*di facile volgarizzazione*» —qui alumnorum pigritiam fovere possent—, opera contra evulgare decreverunt quae occasio esset alumnis «*di esercitare il loro intelletto..., di vagliare e di discutere le diversi interpretazioni di un passo. .*»

Quem finem cl. vir V. Ussani in hoc Aeneidos libro II plane contigit. Agitur ergo de opere singulari arte exarato optimisque commentariis locupletato et illustrato quae ad artem Vergilii praecipue spectant et ab auctore Mantuani poetae amicissimo conscripto.

Nostro iudicio, quod sentio quam parvi sit ponderis, ea commentaria in primis legenti placebunt quibus Sinonis proditio, Ilii excidium Priamique nex collustratur.

Praefatio anteit (pag. III-XLVII) quo mira rei cognitione, Aeneae imago describitur. Vergilius, clari viri Ussani opinione, Aeneam qui apud antiquos scriptores proditor ducebatur Trojae, quemque Seneca, Tertullianus, Porphyrius, Servius innuunt, in Aeneide propugnat heroemque tantum facit poeta ut patientia, justitia, pietate erga deos, patriam et patrem ornatum praebeat.

Praeterea V. Ussani Aeneida asserit verum esse drama quo saepe «*cothurnatus Maro*» graecarum fabularum

scriptores imitatur. Aeneas ipsemet personam nuntii («*ἄγγελος*») gerit, qui Ilii casum Didoni reginae vivide commotoque animo narrat. Tandem multa quae Homerus modo scribendi suo «*διηγερέως*» cecinit, «breviter» Mantuanus scripsit. Quod una est praecipuarum Vergilii virtutum. Alia in prooemio a clarissimo Ussani enodantur quae nobis maxime probantur.

Opus ergo hoc quod in suo genere perfectum aestimamus, Professoribus et alumnis valde commendamus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

LUCREZIO, *De Rerum Natura*. Scelta e commento di Luciano PERELLI. S. Lattes et C. Editori, Torino, 1962, pp. XXVI-262.

Hoc Lucretii *De Rerum Natura* opere, septies jam edito, praeter praefationem continentur plurima totius poematis selecta loca notulis et imagunculis collustrata.

In praefatione auctor agit de Lucretii vita et moribus, de ejusdem virtutibus et doctrina, de Lucretiani operis historia et merito, demum de illius vi poetica.

Ex sex libris *De Rerum Natura* praecipua loca seliguntur. Praemittitur argumentum uniuscujusque loci, sequuntur versus latini, et ad calcem difficiliores versus notulis historicis et philologicis declarantur et explanantur.

Imagunculae quibus opus totum adumbratur plures sunt, optimae, selectae e variis museis et apte dispositae ut sint operi ornamentum et antiquae artis incitamentum.

Opus denique, iteratis editionibus auctum, magni commodi esse potest ut pueri, qui classicis scriptoribus et poetis vacant, in Lucretium magna utilitate incumbant.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.